

1-1-1980

Constitutions Latin: 1980

Recommended Citation

"Constitutions Latin: 1980" (1980). *Constitutions and Rules*. Paper 16.
http://via.library.depaul.edu/cm_construles/16

This Article is brought to you for free and open access by the Official Documents at Via Sapientiae. It has been accepted for inclusion in Constitutions and Rules by an authorized administrator of Via Sapientiae. For more information, please contact mbernal2@depaul.edu.

CONSTITUTIONES
ET STATUTA

CONGREGATIONIS
MISSIONIS

CONVENTUS GENERALIS XXXVI
ROMAE
1980

INTRODUCTIO

Congregatio Missionis, a Sancto Vincentio de Paul fundata, Ecclesiae voluntati obsequens, ius fundamentale sibi proprium recognoscit, quo apostolicam suam actuositatem et vitam in mundo huius temporis, afflatu Concilii Vaticani II, vivificet.

Hinc persentit se peculiarem horam gratiae vivere et actionem Spiritus Domini super se transeuntis percipit, qui eam impellit ut seipsam renovet, vestigia Sancti Vincentii sectando.

Ipsa autem Congregatio, suum cupiens traditum locum et finem in Ecclesia servare et exprimere, necessarium ducit ad suas origines atque ad Sancti Vincentii experientiam spiritualem et proposita redire, quo plenius valeat non solum originariam suam indolem et ipsius Sancti Fundatoris spiritum plenius agnoscere et fideliter custodire, sed et impensiores inspirationem ex iisdem fontibus haurire ut suae vocationi respondeat, voluntati Dei attendens, quae speciali modo in pauperum societatis hodiernae necessitatibus sibi manifestatur, sicut jam Sancto Vincentio.

Vincentius de Paul, in pago vulgo Pouy, anno 1581 natus, jam a puero cum pauperibus est conversatus et eorum vitae condiciones est expertus. Anno 1600 sacerdos factus est. Etsi quaesiverat aliquando paupertatem suae originis effugere, moderantibus vitae spiritualis magistris, sollicitudine profundioris sanctitatis acquirendae se urgeri sensit, et a Divina Providentia per suae vitae eventus eo ductus est ut firmum tandem propositum assumpserit se pauperum saluti devovendi.

Pauperum enim evangelizationem graviter urgere perspexit cum, apud Gannes et, die 25 ianuarii anni 1617, apud Folleville ministerio operam daret: quod fuit, ipso teste, et suae vocationis et Congregationis Missionis origo.

Tandem cum mense augusto eiusdem anni, apud Châtillon-les-Dombes “Caritates” instituit ad subveniendum infirmis omni ope destitutis, compertum habuit et manifestavit intimam necessitudinem intercedere inter pauperum evangelizationem eorumque servitium.

Eius spiritualis experientia formam gradatim accepit contemplatione et servitio Christi in persona pauperis, immo visio Christi a Patre missi ut pauperibus evangelizaret, centrum occupavit tum vitae tum apostolici eius laboris.

Mundi et societatis sui temporis interpellationibus attentus, quas legere didicit lumine intensioris semper amoris in Deum et in pauperes, cuiusvis generis calamitatum pondere oppressos. Vincentius se ipsum vocatum sensit ad omnigenas aerumnas levandas.

Inter diversas activitates, peculiarem curam Missioni semper adhibuit. Primi enim sodales, quos contractu, die 17 aprilis anni 1625 transacto, ad se collegerat ut cum illis ruricolis evangelizandis attenderet, per actum consociationis quem die 4 septembris anni 1626 subsignaverunt, seque obligaverunt ad Congregationem efformandam in qua, in unum viventes, saluti pauperum ruricularum sese dicarent.

Vincentius eiusque sodales, dum pauperum evangelizatorii incumbabant, aperte conspexerunt fructus missionis in populo servari non posse, nisi et sacerdotum formationi provideretur: cui opem initium dederunt cum, anno 1628, in civitate Beauvais, exercitia spiritualia pro clericis ad Ordines accedentibus habuerunt, instante episcopo, conscii se hac ratione bonos pastores Ecclesiae providere.

Quo melius cuiusvis generis necessitatibus subveniret, Vincentius quam plurimos ad se convocavit, divites et pauperes, humiles ac potentes, mediaque omnia adhibuit ut illis sensum pauperis, Christi privilegiatae imaginis, inspiraret: illosque ad pauperes sublevandos directe et indirecte impulit. Voluntariam ac generosam hanc dedicationem suam fecerunt et secutae sunt Communitas Filiarum Caritatis et Consociationes a Caritate ab eo conditae aliaeque ex his promanantes, singulaeque personae, quae hunc spiritum sibi proposuerunt assumendum, ad nostros usque dies.

Zelus eius in pauperes novum incrementum attigit per inceptum Missionum ad Gentes, cum anno 1648 primos sodales ad insulam Madagascar misit.

Dum crescebat, Congregatio qua Institutum, suam vocationem, ordinationem necnon vitam fraternam paulatim definivit, et sedulo suam indolem saecularem affirmavit, quamvis sodales suam in ipsa stabilitatem peculiari voto, et paupertatis, castitatis et oboedientiae praxi firmarent. Huiusmodi notae Congregationis patrimonium nostris quoque diebus constituunt.

Haec omnia, Institutoris intentioni firmiter consentanea, in documentis Congregationis originem atque ordinationem asserentibus consignata sunt, cum URBANUS VIII per Bullam Salvatoris Nostri datam die 12 ianuarii 1633 haec edixit:

“... huiusmodi Congregationis illiusque personarum praecipuus finis et peculiare institutum sit. divina favente gratia, cum propria salute, in eorum salutem incumbere, qui in villis, pagis, terris, locis et oppidis humilioribus commorantur; in civitatibus autem et urbibus, privatim eos qui ad ordines promovendi fuerint ... ad spiritualia exercitia... ad eosdem ordines suscipiendos instituant”; et cum ALEXANDER VII per Breve Ex Commissa Nobis datum die 22 septembris 1655 emissionem probavit “votorum simplicium castitatis, paupertatis et obedientiae necnon stabilitatis in dicta Congregatione ad effectum se, toto vitae tempore, saluti pauperum rusticanorum applicandi, in quorum tamen emissionem nemo intersit qui ea acceptet, sive nomine Congregationis, sive Nostro, et pro tempore existente Romani Pontificis nomine...”, addita insuper declaratione quod “dicta Congregatio Missionis exempta sit a subiectione locorum Ordinariorum in omnibus, excepto quod personae quae a Superioribus eiusdem Congregationis

deputabuntur ad missiones... et ea quae illas concernunt; utque dicta Congregatio non censeatur propterea in numero Ordinum Religiosorum, sed sit de corpore cleri saecularis”.

Huic Congregationi, quam efformandam in spiritu Domini sedulo curavit, Vincentius post plurium annorum experientiam Regulas seu Constitutiones Communes commisit, in quibus, e contemplatione Domini procedens. in eo quod fecit et docuit ut voluntatem Patris impleret qui illum misit ut pauperibus evangelizaret, illa documenta proposuit perfectionis evangelicae, quae spiritualitatem, apostolicam actuositatem et vitam fraternam sui Instituti pressius inspirare deberent.

Eius autem vocationem et missionem clarius explicat, initio Regularum Communium. viam simul indicando ad eam assequendam:

“Dominus noster Jesus Christus, testante Scriptura Sacra, missus in mundum ut salvum faceret genus humanum, coepit facere et docere. Primum quidem adimplevit, cum omne genus virtutum perfecte in praxim redegit: secundum vero, quando evangelizavit pauperibus, tradiditque Apostolis ac Discipulis suis scientiam ad populos dirigendos necessariam. Et quoniam pusilla Congregatio Missionis cupit ipsum Christum Dominum, mediante eius gratia, et pro virium suarum tenuitate, imitari tum quoad ipsius virtutes, tum circa munia salutem proximi spectantia: conveniens est, ut similibus mediis, ad pium hoc propositum rite exsequendum, utatur. Idcirco eius finis est: 1) Propriae perfectioni studere, nitendo scilicet pro viribus virtutes exercere, quibus summus iste Magister nos verbo et exemplo instituere dignatus fuit: 2) Evangelizare pauperibus, maxime ruricolis; 3) Ecclesiasticos adiuvere ad scientias, virtutesque acquirendas, ipsorum statui requisitas” (Regulae Communes. 1. 1).

* * *

His verbis, Sanctus Vincentius soboli suae spirituali sodalibus nempe Congregationis Missionis, singularem concredidit vocationem, novum vitae communitariae genus, et finem semper stimulantem, novis tamen temporibus indesinenter et sapienter aptandum.

PARS PRIMA

DE VOCATIONE

DE FINE CONGREGATIONIS

1. — Congregationis Missionis finis est sequi Christum evangelizantem pauperibus. Hic autem finis perficitur cum sodales et communitates, sancto Vincentio fideles,

1° totis viribus spiritum ipsius Christi induere nituntur (RC I, 3) ut perfectionem vocationi suae congruentem acquirant (RC XII, 13);

2° pauperibus, praecipue vero magis derelictis, evangelizandis incumbunt;

3° clericos et laicos in ipsorum formatione adiuvant et eos adducunt ad plenius participandum in pauperum evangelizatione.

2. — Ratione habita finis, Congregatio Missionis, Evangelium prae oculis habens et signis temporum atque urgentioribus Ecclesiae petitionibus semper attenta, novas vias aperire mediaque adhibere temporum et locorum adiunctis aptata curabit, ac praeterea opera et ministeria ponderare necnon disponere studebit, sic permanens in statu renovationis continuae.

DE NATURA CONGREGATIONIS

3. — Congregatio Missionis est societas apostolica, propria índole saeculari praedita, clericalis vitae communitariae atque exempta, et qua talis, Christi missionem pergere volens, patrimonio sibi a Sancto Vincentio commisso et a competenti auctoritate ecclesiastica sancito, fidem servare quaerit.

4. — Congregatio Missionis, quae clericis et laicis constat, ut finem quem sibi proponit, divina adspirante gratia, attingat, Christi sensibus et affectibus, imo eodem, quo ipse, spiritu repleri quaerit, qui maxime elucet in evangelicis documentis, prout in Regulis Communibus explanatur.

DE SPIRITU CONGREGATIONIS

5. — Spiritus Congregationis est participatio spiritus ipsius Christi prout a sancto Vincentio proponitur: “Evangelizare pauperibus misit me” (Lc 4, 18). Proinde “Jesus Christus est Missionis regula”. Et tamquam eius vitae et actus centrum habebitur (SV XII, 130).

6. — Spiritus ergo Congregationis intimas illas animi dispositiones Christi comprehendit, quas Fundator iam ab initio sodalibus commendabat: caritatem ac reverentiam erga Patrem, compatientem et efficacem amorem erga pauperes, divinae Providentiae docilitatem.

7. — Congregatio suum spiritum quaerit exprimere etiam quinque virtutibus ex peculiari Christi visione depromptis: simplicitate nempe, humilitate, mansuetudine, mortificatione,

animarumque zelo, de quibus sanctus Vincentius dixit: “Congregatio his colendis atque exercendis accuratius incumbet, ita ut hae quinque virtutes sint veluti facultates animae totius Congregationis, omnesque nostrae singulorum actiones illis semper animentur” (RC II, 14).

8. — Huius spiritus profundiori cognitioni omnes semper studebunt, redeuntes ad Evangelium, ad exemplum sancti Vincentii eiusque doctrinam, memores quod spiritus et ministeria nostra sese mutuo alere debent.

9. — Nostra insuper vocatio — finis scilicet, natura et spiritus — Congregationis vitam et organizationem dirigat oportet.

PARS SECUNDA

DE VITA IN CONGREGATIONE

CAPUT I

De actuositate apostolica

10. — Congregatio Missionis, inde a temporibus Fundatoris et ipso inspirante, sese agnoscit a Deo vocatam ad opus evangelizationis pauperum peragendum.

Peculiari quadam ratione, cum tota Ecclesia ipsi de se asseverare licet quod evangelizandi munus habendum est gratia ac vocatio sibi propria, verissimamque indolem exprimit (cf. EN 14).

Immo omnes et singuli eius sodales cum Iesu dicere audent: “Oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum” (Lc 4, 43).

11. — Caritas Christi miserentis super turbas (cf. Mc 8, 2) fons est totius nostrae actuositatis apostolicae, nosque impellit ut, iuxta verba sancti Vincentii, “Evangelium reapse effectivum reddamus” (SV XII, 84).

In variis autem temporum et locorum adiunctis, evangelizatio nostra verbo et opere ad hoc contendere debet, ut omnes per conversionem et sacramentorum celebrationem adhaereant “ad Regnum, nempe mundum novum, ad novum rerum statum, ad novam existendi viam, ad nostram rationem vivendi, et quidem coniuncte vivendi, quam Evangelium instaurat” (EN 23).

12. — In opere evangelizationis, quod Congregatio sibi proponit peragendum, hae notae prae oculis habeantur:

1° praeferebantur clara et expressa apostolatus inter pauperes: evangelizatio enim eorum signum est regnum Dei appropinquare in terra (cf. Mt 11.5);

2° attentio realitati societatis humanae, maxime vero causis inaequalis distributionis bonorum in mundo, ut prophetico munere evangelizandi melius perfungamur;

3° aliqualis participatio conditioni pauperum, ita ut non solum ipsis evangelizandis attendamus, sed et ab ipsis evangelizemur;

4° verus sensus communitarius in operibus apostolicis, ita ut invicem in communi vocatione confirmemur;
5° disponibilitas eundi in mundum universum, ad exemplum primorum missionariorum Congregationis;
6. status continuae conversionis exquirendae tum ab unoquoque sodali tum a Congregatione universa, ad mentem sancti Pauli, qui admonet: “Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri” (Rm 12, 2).

13. — Opera activitatis apostolicae quae, rebus bene perpensis, amplius non videntur respondere vocationi Congregationis in praesenti, gradatim relinquuntur.

14. — In mundo huius temporis, atheismus et materialismus fidem necnon methodos traditas evangelizandi profunde interpellant. Sodales ergo, huius rei causis serio studeant, agnoscentes his in adiunctis ab ipsis postulari testimonium firmiter fidei personalis in Deum vivum necnon novas vias exquiri ad vocationem evangelizationis implendam.

15. — Provinciae ipsae iudicabunt de formis apostolatus suscipiendis ita ut spiritui et exemplo sancti Vincentii fideles, actuositatem apostolicam actioni pastoralis Ecclesiae localis inserant, iuxta documenta et instructiones a Sancta Sede, a Conferentiis Episcoporum et ab Episcopis dioecesanis prolatas.

16. — Provinciae et singulae domus in inceptis apostolicis fraterna cooperatione sive inter se, sive cum clero dioecesano et cum institutis religiosis sive cum laicis libenter laborabunt.

17. — Dialogum oecumenicum quaerent sodales; in re autem religiosa, sociali et culturali cum aliis, sive christianis sive non christianis active intererunt

18. — Missiones ad populum, Fundatoris cordi maxime curae, impensius promovendae sunt. Ideo missionum opus, rerum et locorum adiunctis aptatum aggrediemur, omnes exquirentes possibilitates quibus illi novum impulsus conferamus, tum ad veram communitatem christianam renovandam et aedificandam, tum ad fidem in cordibus non credentium suscitandam.

19. — Opus institutionis clericorum in seminariis, iam ab exordiis inter Congregationis activitates adnumeratum, opportune efficaciterque renovetur. Sodales insuper spirituale adiumentum sacerdotibus praestent in eorum sive formatione continua proclucenda sive studio pastoralis fovendo. In ipsis autem desiderium excitent implendi optionem Ecclesiae in favorem pauperum.

Laicis, suscitandis et rite praeparandis, etiam ad ministeria pastoralia, in communitate christiana necessaria, incumbant.

Clericos tandem et laicos doceant ut consociate laborent et sese invicem adiuvent in processu formationis communitatis christianae.

20. — Inter opera apostolica Congregationis eminentem locum occupant Missiones sive ad Gentes sive ad populos qui in simili condicione evangelizationis versantur. In aedificanda nova communitate ecclesiali, missionarii sedulo attendant ad “semina Verbi” quae in cultura et religiositate populi reperiantur (cf. EN 53).

21. — *Ad opus missionum ad Gentes quod attinet, his normis attendatur:*

1. *corresponsabilitati obsequentes, Provinciae sive sua sponte sive Superiore Generali invitante mutuam sibi praestent auxilium ;*

2. *singulae Provinciae vel etiam plures una simul recipiant unum saltem territorium missionis quo sodales uti operarios in messem Domini mittant;*

3. *sodalibus facultas concedatur concrete adiuvandi opera missionum, etiam sese offerendo ad munus evangelizationis illic obeundum ;*

4. *sodales insuper incitentur ad participandum operibus missionalibus Ecclesiae universalis et localis. Etiam opera missionalia Congregationis propria congrue ordinentur.*

22. — *Missionarii ad Gentes missi, cognitione realitatis regionis ubi laborabunt, sedulo se praeparent, ad specialia munia illic obeunda ut actione pastoralis quam suscipient efficaciter respondeat necessitatibus locorum.*

23. — Cum Congregatio Missionis eadem ac Filiae Caritatis haereditate fruatur, sodales illis petentibus auxilio libenter aderunt, praesertim ad exercitia spiritualia et ad directionem spiritualem quod attinet.

Fraternam quoque cooperationem in operibus mutuo susceptis eis semper exhibebunt.

24. — *Sodalibus peculiari curae erunt laicorum consociationes a Sancto Vincentio institutae vel ab eius spiritu promanantes, utpote quae ius habent ut illis adsimus illasque foveamus.*

Etsi sodales omnes ad haec officia praestanda debent esse parati aliquot tamen huius rei peritiores haberi necesse est.

Caveatur ut haec animatio dimensionem habeat spiritualem ecclesialem socialem et civicam.

25. — *Inter Provincias foveantur congressus ad melius cognoscenda vocationem missionariorum et methodos actionis pastoralis, quae efficacius respondeant concretis rerum personarumque condicionibus et mutationibus.*

26. — Sanctum Vincentium secuti, qui, secundum parabolam boni Samaritani (Lc 10, 30-37), actione efficaci occurrebat derelictis, Provinciae ipsique sodales satagent pro viribus iis opitulari qui ad margines societatis sunt reiecti, victimis calamitatum et iniustitiae cuiusvis generis, necnon us qui formis paupertatis moralis huius aetatis propriis, sunt afflicti.

In favorem eorum et cum eis agentes, studebunt exigentias implere iustitiae socialis et caritatis evangelicae.

27. — *Ad Provincias pertinet, pro rerum adiunctis, condere normas ad actionem socialem spectantes, et concreta determinare media quibus iustitiae socialis adventus festinetur.*

Cooperationem insuper praestabunt sodales, pro locorum et temporum adiunctis, consociationibus iuribus humanis defendendis atque iustitiae et paci fovendis.

28. — *Inter activitates apostolicas Congregationis numerantur paroeciae, dummodo apostolatus quem ibi exercent sodales, congruat cum fine et natura Instituti nostri, et exiguus pastorum numerus illud exoptulet.*

Hae paroeciae Congregationis debent esse, magna ex parte, a pauperibus realiter constitutae, aut adnexae Seminariis ubi confratres formationem pastoralem tradunt.

29. — *Magnum momentum educationis tam pro iuvenibus quam pro adultis agnoscentes, docendi et educandi munus, ubi opus sit ad finem Congregationis assequendum, assument sodales.*

Huiusmodi autem munus aggrediendum est non solum in scholis cuiusvis generis, sed et in familiis, in locis laboris, immo in universo ambitu societatis, ubi iuvenes et adulti versantur.

Scholae, Collegia et Universitates, pro locorum adiunctis, pauperes recipiant ad eorum promotionem fovendam. Affirmando vero valorem educationis christianae et formationem sodalem christianam tradendo, sensus pauperis alumnis insinuetur, iuxta spiritum Fundatoris.

30. — *Inter media quibus Congregatio utitur in opere evangelizationis congrua pars tribuatur mediis technicis communicationis sociatis, ad verbum salutis latius efficaciusque diffundendum.*

CAPUT II

De vita communitaria

31. — *Sanctus Vincentius sodales in Ecclesia adunavit, qui, nova communitaria vivendi forma, evangelizandis pauperibus incumberent. Communitas enim vincentiana ordinatur ad activitatem apostolicam praeparandam, eamque constanter fovendam atque adiuvandam. Itaque omnes et singuli sodales, in communione fraterna constituti, assidua renovatione ad missionem communem impendam contendunt.*

32. — *Sicut Ecclesia et in Ecclesia, Congregatio invenit in Trinitate actionis et vitae suae supremum principium.*

1. *In communitate enim congregati ad nuntiandum amorem Patris erga homines, eum exprimimus in vita nostra.*
2. *Christum convocantem apostolos et discipulos et cum eis vitam fraternam ducentem ad evangelizandum pauperibus sectamur.*
3. *Sub Spiritus Sancti afflatu inter nos unitatem in missione persolvenda construimus, ut exhibeamus testimonium credibile Christi Salvatoris.*

33. — Vita communitaria est nota propria Congregationis inde ab eius initio et ex clara voluntate sancti Vincentii. Ideoque est nostra ratio vivendi ordinaria. Haec fraterna conversatio, quae missione continue alitur, communitatem efformat ad persequendum profectum personale et communitarium et ad opus evangelizationis efficacius reddendum.

34. — Nosmetipsos nostraque omnia impendendo, communitati aderimus. Pariter tamen circa ea quae ad vitam privatam spectant congruus respectus habeatur; valores personales a communitate promoveantur; incepta sodalium lumine finis et spiritus Missionis discernantur. Hac ratione diversitates et charismata singulorum concurrunt ad communionem augendam et ad missionem fructiferam reddendam.

35. — Unaquaeque communitas localis debita autonomia fruatur, ut revera sit locus ubi ad effectum deducitur coordinatio communitaria apostolatus et vitae una cum bono Congregationis, sive provinciali sive universali. Etenim communitas localis pars viva est totius Congregationis.

36. — Ut adiumento apostolatus nostro sit, vitam communitariam, a caritate animatam praesertim praxi “quinque virtutum”, ducere nitimur, ita ut novitatis vitae evangelicae signum mundo evadat. Proinde:

1. concordiam perficere conabimur ad missionem nostram implendam, subsidium vicissim adferentes maxime in rebus adversis, alter alteri gaudium in simplicitate cordis communicans;
2. necessario servitio auctoritatis adiuti, corresponsabiles nos faciemus, una cum Superiore, ad voluntatem Dei in vita et operibus quaerendam, activae oboedientiae obnoxii; atque inter nos dialogum fovebimus, formam vivendi nimis individuum superantes;
3. humili et fraterno animo ad opiniones et necessitates cuiusque consodalis intenti, conabimur difficultates, quas vita communitaria secumfert, superare; correctionem denique fraternam leniter exercebimus, reconciliationem ad invicem donantes:

37. — Communitas est permanenter efformatrix sui ipsius, renovando imprimis elementa praecipua nostri modi vivendi et operandi, quae sunt:

1. communitaria sequela Christi evangelizatoris, quae generat in nobis specialia vincula anions et affectionis; proinde mutuum reverentiam coniungemus cum sincera benevolentia in “morem carorum amicorum” (RC, VIII, 2);
2. evangelizatio pauperum, quae omnibus laboribus nostris tribuit unitatem, quaeque nec talenta nec dona, etsi diversa, exstinguit, sed dirigit ad servitium huius missionis;
3. oratio, praesertim vero in Eucharistia, quae fons efficitur nostrae vitae spiritualis, communitariae et apostolicae;
4. bona nostra, quae erunt communia ad mentem sancti Vincentii, quaeque libenter dividemus.

Sic etenim vita nostra vere fit communitas conversationis fraternae, laboris, orationis et bonorum.

38. — Aegrotantes, infirmi senescentesque confratres cordi erunt nobis considerantibus eorum praesentiam sicut benedictionem domorum nostrarum. Proinde, praeter curam medicam et vitae solatium, eis partes in vita familiari et in apostolatu nostro reservabimus.

39. — *Confratres aegrotantes et senio affecti, cum Christo patiente specialiter coniuncti, nobiscum cooperantur pro mundi evangelizatione. Eosque excipere studebimus in illa domo, quae beneficia eorum laboris accepit. Visitator vero quod pro ipsis melius est, omnibus perpensis, provideat.*

40. — § 1. *Confratres qui soli vivere coguntur, in muneribus a Congregatione sibi concreditatis, curabunt aliquas partes temporis in communi impendere, ut bonum communitatis experiantur. Nos vero eis propinqui erimus ad eorum solitudinem sublevandam eosque sollicite invitabimus ut aliquoties vitam fraternam et apostolicam simul dividamus.*

§ 2. — *Confratres vero difficultatibus laborantes fraterno et tempestivo animo adiuvari contendemus.*

41. — § 1. *Officia erga parentes fideliter exsequemur, servata moderatione quae necessaria est ad implendam nostram missionem et ad vitam communitariam servandam.*

§ 2. *Aperto animo excipere studebimus in domibus nostris confratres sacerdotes et alios hospites.*

§ 3. *Liberaliter tractabimus indigentes, a nobis petentes auxilium conando eorum angustias expedire.*

§ 4. *Fraternam conversationem ad eos omnes qui nobis in vita et labore associantur libenter extendemus.*

42. — Unaquaeque communitas commune propositum elaborare conabitur, secundum Constitutiones, Statuta et Normas Provinciales. Idem propositum prae oculis habebitur in vita et labore ordinandis, in executione consiliorum atque in periodico examine vitae et activitatis nostrae.

43. — *Commune propositum quod unaquaeque communitas sibi conficit initio quantum fieri potest, anni laboris, simul amplectatur: activitatem apostolicam, orationem, usum bonorum, testimonium christianum in loco laboris, formationem continuam, tempora considerationis in commune peragenda, tempus necessarium relaxationis et studii, ordinem diei. Quae omnia examini periodico subicientur.*

CAPUT III

De castitate, paupertate et oboedientia

44. — Missionem Christi persequi cupientes, nosmetipsos pauperibus evangelizandis in Congregatione toto vitae tempore devovemus. Ad bane autem vocationem implendam, castitatem, paupertatem et oboedientiam iuxta Constitutiones et Statuta amplectimur. Etenim, “minima Congregatio Missionis... at animarum saluti, maxime pauperum

ruricularum, inserviret nullis utique fortioribus et aptioribus armis uti posse iudicavit, quam iisdem. quibus ista Sapientia aeterna tam feliciter, tam que utiliter usa est” (RC II, 18).

45. — § 1. Christi imitatores in eius universali amore erga homines, castitatem in coelibatu propter regnum coelorum amplectimur. Eam autem accipimus uti donum Dei a personali et infinita Dei benevolentia nobis largitum.

§ 2. Hoc modo, cor ad Deum et ad proximum latius patefacimus, et tota nostra agendi ratio fit laeta expressio amoris inter Christum et Ecclesiam qui in futuro saeculo plene manifestabitur.

46. — Intima unio cum Christo, communio vere fraterna, instantia in apostolatu, ascesis experientia Ecclesiae probata, efficient ut castitas nostra vigeat. Eadem autem per continuam et maturam responsionem vocationi divinae, est fons spiritualis fecunditatis in mundo, et ad plenitudinem etiam humanam assequendam valde confert.

47. — “Cum ipse Christus, verus universorum bonorum Dominus, ita paupertatem amplexus fuerit, ut non haberet ubi reclinaret caput suum, eosque, qui secum in missionibus laboraverunt, Apostolos scilicet et Discipulos, in simili inopiae gradu constituent, ita ut nihil proprium haberent; unusquisque in hac virtute colenda, ipsum pro sua tenuitate imitari conabitur” (RC III, 1). Hac ratione, sodales manifestabunt se totaliter a Deo dependere, ipsaque pauperum evangelizatio validior evadet.

48. — In suo officio implendo, secundum finem Congregationis et commune propositum communitatis, quisquis sodalis universali legi laboris sese obnoxium sentiat. Fructus autem laboris singulorum, bona Communitatis erunt, ita ut exemplo primorum christianorum, veram communionem bonorum vivamus, et fraterno adiumento nos mutuo prosequamur.

49. — Prae oculis habitis condicionibus pauperum, modus noster vivendi simplicitatem et sobrietatem redoleat. Media autem apostolatus, etsi efficaciora et moderniora, omni specie ostentationis careant.

Quae ad sustentationem et promotionem sodalium atque profectum operum sunt necessaria, ex omnium conatu potissimum procedant. Congregatio autem, vitata quavis cumulatione bonorum, studebit ex suis in favorem pauperum erogare; sic enim, expedita a cupiditate divitiarum, testimonio erit mundo materialismo affecto.

50. — In usu bonorum sodales consensum Superioris oportet habere. Cum autem ad spiritum paupertatis colendum haud sufficiat consensum tantum habere Superioris, necesse est ut unusquisque perpendat quid aptius et conformius sit ad vitam et ministerium, iuxta Fundatoris nostri in Regulis Communibus expressum.

51. — Bona autem propria adhibebimus, iuxta Statutum Fundamentalibus paupertatis in Congregatione, in favorem operum caritatis et etiam in favorem confratrum, vitatis differentiis inter nos.

52. — *Conventus Provincialis accommodet normas circa praxim paupertatis, iuxta Constitutiones et iuxta spiritum Regularum Communium et Statuti Fundamentalisi Paupertatis Congregationi ab Alexandro VII dati (« Alias Nos supplicationibus »).*

53. — *Singulae Provinciae et communitates locales, attentis diversis locorum et rerum adiunctis, modum servandi evangelicam paupertatem exquirant, et circa ipsum periodicum examen instituant, pro certo habentes paupertatem esse, non tantum propugnaculum Communitatis (cf. RC III, 1), sed etiam condicionem renovationis et signum progressus nostrae vocationis in Ecclesia et in mundo.*

54. — Memores condicionem humanam esse limitatam, et sectantes salvificam actionem Christi, qui factus est oboediens usque ad mortem, voluntati Patris multiplici modo sese nobis manifestanti, ductu Spiritus Sancti, libenter oboedire studebimus.

55. — § 1. Participatio in hoc Christi oboedientis mysterio requirit ut omnes communitarie voluntatem Patris quaeramus, mutua experientiarum communicatione, aperto et responsabili dialogo, in quo diversae aetates et animi habitudines inter se occurrunt, ita ut exinde communes propensiones maturescant et exoriantur quae ad decisiones faciendas conducant.

§ 2. Sodales, spiritu corresponsabilitatis et memores verborum sancti Vincentii, prompte, libenter et perseveranter, Superioribus oboedire pro viribus nitentur. Superiorum autem decisionibus, etiamsi sententiam propriam meliorem esse existiment, lumine fidei obsequi conabuntur.

56. — Secundum mentem et spiritum Sancti Vincentii Summo Pontifici oboedientiam fideliter et sincere praestabimus; oboedientiam quoque Episcopis in quorum dioecesibus instituta fuerit Congregatio, iuxta Institutum nostrum, exhibebimus.

57. — Donationem nostram Deo factam intuitu persequendi finem Congregationis efficaciorum reddimus et firmamus votis stabilitatis (seu evangelizationi pauperum toto vitae tempore nosmetipsos dedicandi), castitatis, paupertatis et oboedientiae, iuxta Constitutiones et Statuta.

CAPUT IV

De oratione

58. — § 1. Christus Dominus, in intima unione permanens cum Patre, oratione eius voluntatem quaerebat, quae fuit ratio suprema suae vitae, missionis et oblationis pro mundi salute. Similiter Discipulos docuit eodem spiritu semper orare et nunquam deficere.

§ 2. Nos quoque, in Christo sanctificati et in mundum missi, oratione signa voluntatis divinae inquirere et Christi disponibilitatem imitari conabimur, omnia iuxta sensum eius diiudicando. Hoc modo vita nostra in oblationem spiritualem a Sancto Spiritu immutatur et nos aptiores efficimur ad missionem Christi participandam.

59. — “Date mihi virum orationis et ad omnia exsequenda aptus erit” (SV XI, 83). Iuxta mentem enim sancti Vincentii oratio est fons spiritualis vitae missionarii: per illam Christum induit, sese doctrina imbuit evangelica, res atque eventus in conspectu Dei discernit, et in eius amore et misericordia permanet Sic Spiritus Christi semper efficaciam verbis et actionibus nostris praestat.

60. — Apostolica in mundum insertio, vita communitaria et experientia Dei ope orationis in vita missionarii invicem complentur et in unum coalescunt. In oratione enim fides, amor fraternus et zelus apostolicus constanter renovantur; in actione autem amor Dei et proximi effectivus manifestatur. Per intimam unionem orationis et apostolatus missionarius fit contemplativus in actione et apostolus in oratione.

61. — Oratio missionarii spiritu filiorum, humilitate, fiducia erga Providentiam et amore bonitatis Dei informari debet. Ita ediscimus orare sicut pauperes spiritu, pro certo habentes nostram infirmitatem virtute Spiritus Sancti roborari. Ipse enim illuminat mentes nostras et firmat voluntates ad necessitates mundi profundius cognoscendas et efficacius levandas.

62. — Peculiarem orandi facultatem experiamur oportet in ministerio Verbi. Sacramentorum et caritatis necnon in eventibus vitae. Evangelizando pauperibus Christum in eis invenire et contemplari debemus, curam populi exercent ad quem missi sumus, non tantum pro illo sed etiam cum illo orare, et quasi sponte fidem devotionemque eius participare.

63. — Orationem liturgicam modo vivo et authentico colemus.

§ 1. Vita nostra ad celebrationem cotidianam Coenae Domini tanquam ad suum culmen contendat: ab ea enim, uti a fonte, virtus activitatis nostrae et fraternae communionis promanat. Per Eucharistiam Christi mors et resurrectio repraesentantur, nos in Christo hostia viva perficimur, atque communitas populi Dei significatur et efficitur.

§ 2. Sacramenti Reconciliationis frequentatione conversionem continuam et vocationis sinceritatem assequi conabimur.

§ 3. Liturgiae Horarum communi celebratione, voces et spiritus unum ad laudes Domini decantandas, orationemque continuam ad eius conspectum elevamus et pro omnibus hominibus deprecamur.

64. — In oratione communitaria optimam formam reperimus animationis et renovationis vitae praesertim vero cum Verbum Dei celebramus et participamus, aut cum, dialogum fraternum instituentes participes ad invicem nos facimus fructus nostrae spiritualis et apostolicae experientiae.

65. — Oratio personalis, sive privata sive in communi peracta, idoneos nos reddit tum ad sensum Christi percipiendum, tum ad vias aptas inveniendas, ut missionem eius impleamus. Ipsa vero, orationem communitariam et liturgicam praeparet, extendat et compleat.

66. — *Pietatis actus in Congregatione traditos fideliter implebimus iuxta propositum commune, praecipue vero Sacrae Scripturae lectionem, praesertim Novi Testamenti, SS. Eucharistiae cultum orationem mentalem in communi persolvendam, examen conscientiae, lectionem spiritualem, spiritualia inter annum exercitia, necnon praxim directionis spiritualis.*

67. — § 1. Testes et nuntii amoris Dei. Trinitatis et Incarnationis mysteriis peculiarem devotionem et cultum praestare debemus.

§ 2. Speciali devotione et Mariam, Matrem Christi et Ecclesiae, colemus, quae, iuxta sancti Vincentii verba, prae omnibus credentibus, documenta evangelica penitus perspexit et in vita sua effecit.

68. — *Devotionem erga Immaculatam Virginem Mariam diversimode exprimemus, eius festa devote celebrando eamque frequenter, praesertim ope rosarii, invocando. Peculiare nuntium, materna eius benevolentia, in Sacro Numismate expressum, pervulgabimus.*

69. — *Cultum sancti Vincentii, Sanctorum Beatorumque familiae Vincentianae corde habebimus. Ad Fundatoris patrimonium, quod in eius scriptis et in Congregationis traditione invenitur, constanter revertemur, ut amare ediscamus quod amavit et opere exercere quod docuit.*

CAPUT V

De sodalibus

1. De sodalibus in genere

70. — Sodales Congregationis Missionis sunt discipuli Christi qui, ad continuandam eius missionem a Deo vocati et in dictam Congregationem admissi, pro viribus nituntur suae vocationi respondere adlaborando iuxta doctrinam, mentem et instituta sancti Vincentii a Paulo.

71. — § 1. Sodales, qui omnes per baptismum et confirmationem sacerdotium regale Christi participant, sunt clerici et fratres, omnesque etiam Missionarii vocantur.

Clerici, i.e. sacerdotes et diaconie, iuxta proprium ordinem, ad exemplum Domini Nostri Iesu Christi Sacerdotis, Pastoris et Magistri, vocationem suam adimplent per exercitium huius triplicis functionis in omnibus formis apostolatus quae ad finem Congregationis assequendum inservire possunt. His accedunt sodales qui ad ordines recipiendos se praeparant.

Laici, qui apud nos fratres appellantur, ad apostolatam Ecclesiae et Congregationis deputantur illumque adimplent operibus suae conditioni aptatis.

§ 2. Hi omnes sunt vel admissi tantum, vel etiam incorporati. iuxta Constitutiones et Statuta.

2. De admissione in Congregationem

72. — § 1. Candidatus admittitur in Congregationem cum, ipso petente, recipitur ad tempus probationis Seminarii Interni perficiendum.

§ 2. Ius admittendi candidatos in Seminarium Internum spectat, servatis servandis:

- 1) ad Superiorem Generalem, audito suo Consilio, pro tota Congregationem
- 2) ad Visitatorem, audito suo Consilio pro sua Provincia.

73. — § 1. *Seminarium Internum pro unoquoque sodali incipit cum a Directore vel ab eius vices gerente receptus declaratur iuxta Normas Provinciales.*

§ 2. *Quoad requisita ad admissionem standum est iuri universali.*

§ 3. *Congregatio, tempore opportuno, cautiones validas, si necessariae sint, etiam in foro civili, assumet ut iura tum sodalis tum Congregationis debite serventur, in casu quo sodalis sponte egrediatur aut dimittatur.*

74. — § 1. Elapsis duodecim mensibus Seminarii Interni, vel elapso anno ab admissione in Congregationem, sodalis, iuxta traditionem nostram per Bona Proposita, voluntatem suam ostendit ad salutem pauperum, toto vitae tempore, in Congregatione vacandi, iuxta Constitutiones et Statuta.

§ 2. Ius admittendi ad Bona Proposita spectat, servatis servandis:

- 1) ad Superiorem Generalem, auditis suo Consilio et Directore Seminarii Interni pro tota Congregatione;
- 2) ad Visitatorem, auditis suo Consilio et Directore Seminarii interni pro sua Provincia.

75. — § 1. *Emissio Bonorum Propositorum, praesente Superiore vel sodali ab ipso designato fieri debet.*

§ 2. *Ulteriores determinationes quoad Bonorum Propositorum emissionem vel renovationem et aliquam formam temporariae vinculationis forsitan addendam, necnon quoad iura et obligationes quibus sodales fruuntur a sua in Congregationem admissione iisque ad suam incorporationem in ipsam, a Conventu uniuscuiusque Provinciae statuuntur.*

76. — *Totum tempus quo fit praeparation ad incorporationem in Congregationem nec brevius sit biennio nec longius novennio a receptione in Seminario Interno.*

77. — Ex concessione Romanorum Pontificum vota nostra sunt: perpetua, ad effectum se toto vitae tempore dedicandi in Congregatione ad eius finem attingendum; privata, cum nemo intersit qui ea acceptet sive nomine Ecclesiae sive nomine Congregationis; reservata, ita ut solus Romanus Pontifex et Superior Generalis possint ea dissolvere.

Iidem Romani Pontifices statuerunt ut Congregatio non censeretur propterea in numero Ordinum Religiosorum, set esset de corpore cleri saeculari (cf. Pp. Alexander VII : “Ex commissa nobis” 22.IX.1655 ; idem, “Alias nos supplicationibus” 12.VIII.1659.)

78. — Ius ad vota admittendi spectat, servatis servandis:

- 1) ad Superiorem Generalem, de consensu sui consilii et consultis moderatonibus candidati, pro tota Congregatione;
- 2) ad Visitatorem, de consensu sui Consilii et consultis moderatoribus, pro sua Provincia.

79. — § 1. Licentia emittendi vota a Superiore maiore data post petitionem sodalis secumfert, emissis votis, incorporationem Congregationi.

§ 2. Sodalis Congregationi nondum incorporatus ad Ordines admitti nequit.

80. — § 1. Emissio votorum praesente Superiore vel sodali ab ipso designato fieri debet.

§ 2. Iuxta consuetudinem Congregationistam petitio quam attestatio emissionis votorum scripto fiant; de votorum autem emissionem Superior Generalis quam primum certior fiat.

81. — Ulteriores determinationes quoad tempus emissionis votorum, ad Conventum Provinciale uniuscuiusque Provinciae pertinent.

3. De iuribus et obligationibus sodalium

82. — § 1. Omnes sodales Congregationis, nisi ex natura rei aliud constet, gaudent iuribus, privilegiis et gratiis spiritualibus Congregationi concessis ad normam iuris universalis et proprii.

§ 2. Omnes sodales Congregationi incorporati iisdem iuribus fruuntur et obligationibus tenentur ad normam iuris universalis et proprii, illis exceptis quae exercitium Ordinis eique adnexam iurisdictionem respiciunt. Sodales vero in Congregationem solummodo admissi, fruuntur iuribus et tenentur obligationibus iuxta Constitutiones, Statuta et Normas Provinciarum.

83. — Iure vocis activae et passivae gaudent, nisi amiserint ad normam iuris, sodales Congregationi incorporati, iuxta bus universale et proprium.

84. — *Iure vocis passivae, firmis aliis condicionibus a iure universali et proprio statutis, pro omnibus officiis et muneribus fruuntur sodales qui saltem a triennio Congregationi sint incorporati et vigesimum quintum annum expleverint.*

85. — *Carent jure vocis activae et passivae:*

§1 Qui ex indulto vivunt extra Congregationem, iuxta ius proprium Congregationis et clausulam in ipso indulto appositam;

§2 Sodales ad Ordinem Episcopatus evecti vel tantum renuntiati, durante munere, et etiam expleto munere, nisi ad vitam communitariam redierint;

§3 Vicarii, Praefecti et Administratores Apostolici, quamvis non Episcopi, durante munere, nisi simul sint Superiores alicuius domus Congregationis.

86. — Sodales Congregationis Missionis communibus obligationibus clericorum tenentur, nisi ex natura rei aliud constet.

87. — Constitutiones ac Statuta aliasque normas in Congregatione vigentes, activa et responsabili oboedientia omnes servare debent.

88. — Item observent normas ab Ordinariis locorum promulgatas, salvo iure exemptionis nostrae.

89. — § 1. *Unicuique sodali ius est ut in tota Congregatione suffragia pro ipso offerantur cum decesserit.*

§ 2. *Singulis mensibus unusquisque sodalis iuxta condicionem suam, Missam offerat pro vivis atque defunctis totius vincentianae familiae necnon pro parentibus propinquis et benefactoribus, addendo specialem intentionem pro servando spiritu Congregationis primigenio.*

§ 3. *Pariter, alteram Missam offerat pro sodalibus totius Congregationis mense praecedenti defunctis.*

§ 4. *Ulteriores determinationes ab unaquaque Provincia statuuntur.*

90. — *Unicuique sodali Congregationi incorporato ius est ut singulis mensibus celebratio aliquarum Missarum secundum propriam intentionem et sine stipe concedatur. Normae circa numerum et modum celebrationis harum Missarum ab unaquaque Provincia statuuntur.*

4. De adscriptione sodalium alicui provinciae et domui

91. — *Quemlibet sodalem Congregationis Missionis oportet esse alicui Provinciae et Domui vel Coetui ad instar Domus adscriptum, ad normam iuris proprii.*

92. — § 1. *Superior Generalis, Assistentes, Secretarius et Oeconomus Generalis et Procurator Generalis apud Sanctam Sedem, Provinciam, ad effectus iuridicos, durante munere non habent.*

§ 2. *Idem dicitur de aliis domui generalitiae adscriptis, salvo iure vocis activae et passivae, quod in sua Provincia retinent.*

93. — § 1. *Sodalis Congregationis Missionis adscribitur Provinciae pro qua Superiores eum legitime in Congregationem admittunt. Quae Provincia dicitur Provincia originis.*

§ 2. *Nova sodalis adscriptio acquiritur per destinationem ex una ad aliam Provinciam, a Superioribus legitime factam. Quae Provincia dicitur Provincia destinationis.*

94. — *Ut sodalis amittat unam Provinciam et aliam acquirat, salva semper Superioris Generalis auctoritate, exigitur tantum ut Superiores maiores competentes inter se convenient, audito ipso sodali. Si autem sodalis invitus est, translatio ad aliam Provinciam sine approbatione Superioris Generalis effici non potest.*

95. — *Superior Generalis, expleto munere, libere eligat Provinciam.*

96. — *Adscriptio Provinciae destinationis potest esse ad tempus indefinitum vel definitum. Si adscriptio fit ad tempus definitum, hoc elapso, sodalis immediate acquirit denuo adscriptionem Provinciae a qua provenerat, nisi Superiores competentes, audito ipso sodali, aliter inter se convenerint, ad normam Statutorum.*

97. — *Documenta destinationis conficiantur et in archivis utriusque Provinciae servantur. Visitator vero Provinciae a qua sodalis provenit notitiam de nova eius adscriptione ad Secretarium Generalem mittet.*

98. — *Sodalis adscribitur Domui vel Coetui ad instar Domus per destinationem a legitimo Superiore factam.*

99. — *In Provincia et in Domo vel Coetu ad instar Domus, quibus sunt adscripti, sodales habent:*

1. iura et obligationes iuxta Constitutiones et Statutas
2. proprium et immediatum Superiorem localem et maiorem;
3. exercitium vocis activae et passivae.

100. — *Sodalis qui licentiam vivendi extra Domum vel extra Coetum ad instar Domus, alicui Domui semper adscribi debet, ut in ea iuribus fruatur et obligationibus teneatur, ad normam licentiae ipsi concessae.*

5. De egressu et dimissione sodalium

101. — *Quoad egressum et dimissionem sodalium, in Congregatione Missionis iuri universali et proprio standum est.*

102. — § 1. *Sodalis Congregationi nondum incorporatus libere eam deserere potest, Superioribus voluntatem suam manifestando.*

§ 2. *Idem vero sodalis nondum incorporatus, ob iustas causas, dimitti potest a Superiore Generali vel a Visitatore, auditis suis Consilii et eiusdem sodalis moderatoribus.*

103. — *Superior Generalis, audito suo Consilio, gravi de causa, sodali Congregationi incorporato concedere potest, non tamen ultra triennium, ut vitam agat extra Congregationem, salvis obligationibus quae cum eius nova vitae conditione componi possunt. Sodalis huiusmodi sub cura Superiorum Congregationis manet, caret tamen voce activa et passiva.*

104. — *Superior Generalis, de consensu sui Consilii, potest sodali, gravi de causa, egressum e Congregatione concedere, illumque a votis dispensare.*

105. — § 1. *Sodalis Congregationi incorporatus, qui a communione eum illa necnon a potestate Superiorum sese subducit, solícite a Superioribus quaeratur et adiuvetur, ut in vocatione perseveret.*

§ 2. *Quod si sodalis non redierit post sex menses, privetur voce activa et passiva, et, ad normam art. 74, § 2, decreto Superioris Generalis dimitti potest.*

106. — § 1. *Sodalis Congregationi incorporatus dimitti potest decreto Superioris Generalis, de consensu sui Consilii, suffragio secreto espresso.*

§ 2. *Ad huiusmodi dimissionem decernendam requiritur ut:*

1) *causae dimissionis sint graves, culpabiles et iuridica comprobatae;*
2) *dimissioni praecesserint, cum formali comminatione subsecuturae dimissionis, duae monitiones canonicae, quae incassum cesserint;*

3) *causae dimissionis sodali manifestatae fuerint, data eidem, post singulas monitiones, plena libertate sese defendendi;*

4) *tres menses ab ultima monitione elapso fuerint.*

§ 3. *Responsiones sodalis, scripto exaratae, adnectantur actis, quae Superioris Generalis eiusque Consilii examini submitienda sunt.*

107. — *Nisi aliter providerit ius universale, Superior Generalis, de consensu sui Consilii, statim dimittere potest sodalem qui:*

1) *Apostasiam, haeresim, schisma publice professus fuerit.*

2) *Matrimonium, etiam civiliter tantum, contraxerit vel attentaverit.*

3) *Culpabiliter causa sit imminentis et gravissimi vel exterioris scandali vel erga Congregationem damni.*

108. — § 1. *Decretum dimissionis, ad normam art. 106 et 107 datum, quam primum sodali cuius interest communicetur, data ei facultate recurrenti, intra decem dies ad Sanctam Sedem, cum effectum suspensivum.*

§ 2. *Legitima dimissione, ipso facto cessant omnia iura et obligationes, quae sodalis in Congregatione habuit, et ipse a Superiore Generali a votis dispensatur.*

109. — § 1. *Quoad iuridicam condicionem sodalium qui egressi vel dimissi sunt, standum est iuri universali.*

§ 2. *Superiores autem et confratres debent erga ipsos sollicitudinem et christianam caritatem exercere.*

110. — *Auctoritas denuo admittendi aliquem in Congregationem pertinet:*

1) *ad Superiorem Generalem, audito suo Consilio, pro omnibus;*

2) *ad Visitatorem, auditis suo Consilio et Visitatore Provinciae a qua sodalis egressus vel dimissus est, pro iis qui nondum Congregationi incorporati sunt.*

CAPUT VI

De formatione

1. De Promovendis et Fovendis Vocationibus

111. — *Cura de vocationibus promovendis exigit a nobis constantem orationem (Mt 9. 37) et authenticum, plenum ac laetum testimonium vitae apostolicae et communitariae,*

praesertim cum adulescentes et iuvenes nobiscum laborant in missione vincentiana educantes propriam fidem.

112. — § 1. Provinciae, Domus et singuli sodales curent de candidatis ad missionem vincentianam suscitandis.

§ 2. Provinciae autem media aptiora, quibus vocationes promoveantur ipsisque attendatur, exquirant et propositum provinciale ad id aptum conficiant.

§ 3. Visitator, audito suo Consilio, Promotorem Vocationum nominabit, qui curam de promovendis vocationibus coordinabit in operibus nostris.

113. — Candidatos, qui Congregationem ingredi cupiunt, optionem vitae christianae, propositum apostolicum et electionem laborandi in communitate vincentiana iam fecisse oportet; aut eos ad haec eligenda progressive iuvari ope actionis pastoralis iuvenilis vel in Scholis Apostolicis, ubi hae habeantur.

114. — Candidatorum autem formatio, ipsorum aetati conformis imprimis comprehendat vitam fraternam, Verbi Dei frequentationem, celebrationes liturgicas, actuositatem apostolicam una cum Moderatoribus perductam, orientationem personalem studium atque laborem.

2. De Formatione Nostrarum

Principia generalia

115. — § 1. Nostra formatio, processu continuo, eo tendere debet ut sodales, spiritu sancti Vincentii animati, idonei evadant ad missionem Congregationis implendam.

§ 2. Magis in dies igitur discant Iesum Christum esse centrum vitae nostrae et Congregationis regulam.

116. — § 1. Tempus formationis, sicut tota vita nostra, ita ordinetur ut caritas Christi nos magis ac magis urgeat ad finem Congregationis assequendum. Quem finem sodales, ut discipuli Domini, in sui ipsius abnegatione et continua conversione ad Christum attingent.

§ 2. Sodales verbo Dei, vita sacramentali, oratione tam communitaria quam personali et spiritualitate vincentiana exercentur.

§ 3. Alumni insuper studia a lege Ecclesiae praescripta rite peragant. ut debitam scientiam acquirant.

§ 4. Omnes iam ab initio, pro sua quisque formatione et capacitate, praxi pastoralis, praesertim cum Moderatoribus consociati, opportune exercentur, pauperes quoque adeundo eorumque realitatem attingendo. Hac ratione unusquisque suam vocationem specificam in communitate pro personalibus facultatibus facilius invenire poterit.

§ 5. Normae vero paedagogicae ita pro alumnorum aetate applicentur, ut ipsi, dum gradatim sibimetipsis moderari addiscunt, libertate sapienter uti, sponte naviterque agere assuescant et ad maturitatem christianam perveniant.

117. — Sodales, vocationi Dei in communitate respondentes, tempore formationis vitam communitariam vincentianam vivere discant. Communitas vero foveat incepta personalia singulorum in toto processu formationis.

118. — In formatione nostrorum vigeat coordinatio inter diversas institutionis rationes, et inter gradus subsequentes unitas organica servetur. Omnia autem ita ordinentur, ut in finem pastoraalem Congregationis proprium conspirent.

119. — Praeter formationem communem, pro unoquoque nostrorum, quantum fieri potest, procuranda est etiam formatio specifica et professionalis, quae singulos ad opera apostolatus, a Congregatione assignata, illisque magis consentanea efficaciter exercenda aptos reddat.

120. — § 1. In singulis Provinciis habeatur Formationis Ratio, quae cum principiis hic statutis, cum documentis et normis ab Ecclesia datis iuxta diversa locorum adiuncta consonet.

§ 2. Item Visitor statuatur Commissionem Formationis, cuius erit Rationem Formationis praeparare et renovare, atque ea omnia tractare, quae ad processum institutionis attinent.

De Seminario Interno

121. — Candidati, ut in Seminarium Internum admittantur, inter condiciones requisitas, signa praebere debent, quibus apti censeantur ad vocationem vincentianam in communitate persequendam.

122. — Seminarium Internum est tempus quo sodales missionem et vitam in Congregatione incipiunt et, adiuvantibus communitate et Moderatoribus, suam vocationem pressius agnoscunt, ac per specialem formationem ad liberam incorporationem in Congregationem se praeparant.

123. — Ideo tota ratio huius temporis eo tendere debet, ut Seminaristae:

- 1) maiorem maturitatem acquirant;
- 2) congruae cognitioni et experientiae missionis apostolicae et vitae Congregationis progressive initientur;
- 3) ad experientiam Dei, praesertim in oratione, perveniant.

124. — Quod ut assequantur, Seminaristae sedulo curabunt:

- 1) convenientem et concreta cognitionem hominum, in primis vero pauperum, eorumque necessitatum, desideriorum et problematum sibi comparare;
- 2) cognitionem peculiaris indolis, spiritus et munerum Congregationis acquirere, fontes adeundo, praesertim vero vitam atque opera sancti Vincentii, Congregationis historiam et traditiones, necnon actuosam et congruam apostolatus nostri participationem;
- 3) studium et meditationem Evangelii totiusque Sacrae Scripturae impensius fovere;
- 4) Ecclesiae, qua salutis communitatis, mysterium ac missionem, active participare;

5) documenta evangelica, praecipue vero castitatem, paupertatem et oboedientiam, iuxta mentem sancti Vincentii, cognoscere et vivere.

125. — Seminaristae communitati provinciali et locali apud quam vivunt intime inseruntur, et in ea communi responsabilitate formantur, coordinante et animante Directore Seminarii Interni.

126. — *Seminarium Internum peragi potest in una vel pluribus domibus Congregationis a Visitatore cum suo Consilio electis.*

127. — § 1. *Seminarium Internum per duodecim saltem menses, sive continuous sive intermissos, protrahi debet. Si vero menses intermittuntur, Conventus Provincialis erit numerum mensium continuorum determinare.*

§ 2. *Ad singulas Provincias insuper pertinet statuere quando periodus Seminarii Interni curriculo studiorum inseratur.*

128. — *Peculiaribus in adiunctis, et attenta maturitate humana et christiana candidatorum, opportuna aptationes a Visitatore statui possunt.*

De Seminario Maiore

129. — § 1. Tempus Seminarii Maioris ad completam institutionem sacerdotii ministerialis vincentiani tradendam ordinatur, ita ut alumni, ad exemplar Christi Evangelizatoris, formentur ad Evangelium praedicandum, divinum cultum celebrandum fidelesque pascendos.

§ 2. Secundum spiritum sancti Vincentii et traditionem Congregationis, formatio nostrorum dirigatur potissimum ad ministerium verbi et ad exercitium caritatis erga pauperes.

130. — Formatio nostrorum realitati societatis adhaereat, ita ut studia ad visionem et iudicium criticum mundi hodiernis acquirendum contendant. Alumni autem per conversionem cordis, incipiant seipsos efficaciter inserere in opus christianum instaurationis iustitiae; magis magisque conscii fiant de radicibus paupertatis in mundo, et impedimenta detegant quae evangelizationi obstant. Quae omnia fiant lumine Verbi Dei et ductu Moderatorum.

131. — Foveantur in alumniis maturitas affectiva et qualitates missionariae, cuiusmodi sunt: capacitas suscitandi et dirigendi communitates, responsabilitas, spiritus et actus critici, generositas prompta, vis sese firmiter obstringendi ad finem Congregationis efficiendum.

132. — § 1. *Domus Seminarii Maioris, prout necessitas postulat, potest esse vel singulis Provinciis propria vel pluribus communis.*

§ 2. *Alumni nostri possunt ad aliam Provinciam vel ad Institutum rite approbatum mitti, ut ibi studiorum ecclesiasticorum curriculum peragant. Hoc tamen in casu caveatur, ut*

ipsi vitam communem, iuxta Congregationis morem, ducant, et convenientem formationem vincentianam recipiant.

§ 3. In Domibus formationis vita familiaris floreat, et fraternitas inter sodales eiusdem Provinciae praeparetur; si autem alumni multi sint, apta ratione in coetus minores distribui possunt, quo singulorum formationi personali melius provideatur.

133. — § 1. Durante processu formationis Visitator, auditis Moderatoribus et suo Consilio, intermissiones studiorum et licentiam manendi extra domum formationis alumnis, iusta de causa, concedere potest.

§ 2. Item Visitator statuere debet congruum tempus, ut alumni, expleto curriculo theologico, diaconalem exerçant ordinem, antequam ad Presbyteratum promoveantur.

134. — Foveatur mutua cognitio inter alumnos e diversis Congregationis Provinciis.

De Fratrum formatione

135. — § 1. Cura peculiaris impendatur ut Fratres ad suam missionem in Congregatione fideliter implendam formentur. Omnia quae in Constitutionibus et Statutis de formatione edicuntur, institutioni quoque Fratrum applicantur.

§ 2. Eorum igitur formationem in Seminario Interno eandem ac aliorum sodalium esse oportet, nisi peculiaris rerum adiuncta aliud suadeant.

§ 3. Quoad formationem Fratrum qui ad Diaconatum permanentem promovendi sint, serventur normae provinciales.

136. — Fratres ad apostolatam gradatim applicentur ut omnia sub lumine fidei adspicere, iudicare et agere, atque per actionem seipsos cum aliis efformare et perficere discant.

137. — Specialis Fratrum institutio culturalis et technica, opportune fiat legitimo curriculo studiorum, ut titulum seu diploma congruens acquirant.

De Moderatoribus et Magistris

138. — Communitas provincialis universa, de formatione nostrorum responsabilem se sentiat, ita ut singuli sodales eidem open adiumentum praestent.

139. — Cum alumnorum formatio ab idoneis educatoribus praecipue pendeat, Moderatores et Magistri solida doctrina, congrua experientia pastorali et peculiari institutione praeparentur.

140. — § 1. Moderatores et alumni mutuae comprehensioni et fiduciae aperti, atque constantem et activam consuetudinem inter se habentes, veram communitatem educativam constituere debent.

§ 2. Haec autem communitas educativa, contributionibus aliorum coetuum attentata, propria proposita propriasque activitates constanti examini subiciat.

§ 3. Moderatores collegialiter procedant: attamen cura specialis et immediata seminaristarum et alumnorum alicui confratri vel, si casus ferat, pluribus confratribus committatur.

141. — *Seminarium Maius, qua centrum formationis, adiumentum praestet sodalibus in diversis operibus laborantibus, ipsi autem Moderatores et Magistri opera apostolatus exercent.*

142. — *Curandum est ut in domibus formationis habeantur, prout necessitas postulat, confratres idonei, qui confessarii et directoris spiritus muneribus fungantur.*

De Formatione Permanenti

143. — § 1. *Formatio nostrarum toto vitae tempore perducenda et renovanda est.*

§ 2. *Singulae Provinciae, ope Commissionis Formationis, tam communitariam quam individualement formationem continuam ordinent et foveant.*

PARS TERTIA

DE ORGANIZATIONE

Sectio 1. — DE REGIMINE

Principia generalia

144. — Sodales omnes, cum vocati sint ut operam suam praestent ad missionem Christi continuandam, ius et officium habent tum cooperandi ad bonum communitatis apostolicae, tum eiusdem regimine participandi, ad normam iuris proprii. Sodales igitur in muneribus obeundis, in inceptis apostolicis suscipiendis, in praeceptis exsequendis, active et responsabiliter cooperentur.

145. — § 1. Qui in Congregatione auctoritatem exercent, quae a Deo est, et qui in eius exercitio quocumque modo partem habent, etiam in Conventibus et in Consiliis, prae oculis habeant exemplum Boni Pastoris, qui non venit ministrari sed ministrare. Ideoque, conscii de sua coram Deo responsabilitate, se existiment servos communitatis, ad promovendum finem ipsi proprium iuxta spiritum sancti Vincentii, in vera communione apostolatus et vitae.

§ 2. Cum sodalibus, ergo, dialogum instituant, firma tamen ipsorum auctoritate decernendi et praeciendi quae agenda sunt.

146. — Omnes sodales, in muneribus a communitate concreditibus obeundis, habent potestatem sufficientem ad ea implenda. Ideoque, ne avocentur ad maiorem regiminis gradum ea quibus aut singuli sodales aut inferiores regiminis gradus providere possunt.

Servetur tamen illa regiminis unitas, quae necessaria est ad finem et bonum totius Congregationis proseguenda.

147. — Congregatio Missionis, cum suis Domibus et ecclesiis omnesque eius sodales exemptione ab Ordinariorum locorum iurisdictione gaudent ex speciali Romanorum Pontificum concessione, praeterquam in casibus a iure expressis.

148. — Conventus Generalis, Superior Generalis, Visitatores ac Superiores Domorum et Communitatum legitime constitutarum, in sodales ea gaudent potestate, quae a iure universali et proprio definitur; habent praeterea ecclesiasticam potestatem regiminis seu iurisdictionis.

Caput 1. - De administratione centrali

De Superiore Generali

149. — Superior Generalis, successor sancti Vincentii, una cum tota Congregatione, missionem Fundatoris diversis adiunctis aptatam in servitium universalis Ecclesiae continuat. Proinde, tali sollicitudine Congregationem guberniet, ut charisma sancti Vincentii vivum semper in Ecclesia perseveret.

150. — Superior Generalis, centrum unitatis et Provinciarum coordinationis, sit etiam principium spiritualis animationis et actionis apostolicae.

151. — Superior Generalis omnes Provincias, Domos et singulos sodales Congregationis potestate ordinaria regit ad normam iuris universalis et proprii. Superior Generalis tamen subest auctoritati Conventus Generalis, ad normam iuris.

152. — Superior Generalis valet usulem tantum interpretationem Constitutionum, Statutorum et Decretorum Conventus Generalis dare.

153. — § 1. Superior Generalis a Conventu Generali eligitur, ad normam iuris universalis et proprii, eligitur.

§ 2. Superior Generalis a Conventu Generali eligitur ad sexennium, et iterum eligi potest ad alterum sexennium, ad normam iuris proprii Congregationis.

§ 3. Sexennium vero compleri censetur acceptatione officii, ab eius successore facta, in Sequenti Conventu Generali ordinario.

154. — *Ad validitatem electionis Superioris Generalis, requiruntur condiciones, quae ex iure universali et proprio haberi debet.*

155. — § 1 Superior Generalis ab officio cessat ad normam iuris universalis et proprii.

§ 2. Superior Generalis ab officio cessat:

Per acceptationem officii a successore factam;

Per ipsius renuntiationem a Conventu Generali vel a Sancta Sede acceptatam:

Per depositionem a Sancta Sede decretam.

§ 3. Si Superior manifeste indignus vel ineptus factus fuerit ad munus suum implendum, Assistentium erit de re collegialiter iudicare, et Sanctam Sedem certiozem facere, cuius mandatis standum erit.

156. — Praeter facultates ipsi a iure universali vel ex speciali concessione datas.

Superioris Generalis est:

1. Omni cura studere ut spiritus sancti Fundatoris firmus et fervens ubique foveatur, apostolica Congregationis actuositas eiusque renovatio indesinenter promoveatur, atque Constitutiones et Statuta quam aptius applicentur;
2. De consensu sui Consilii, ordinationes generales condere, in bonum Congregationis;
3. De consensu sui Consilii et consultis sodalibus quorum interest, constituere Provincias easque coniungere, dividere, supprimere, servatis de iure servandis.

4. Eandem facultatem quam habit pro Provinciis, relate ad Viceprovincias exercere;

5. Salvo iure visitationem canonicam peragendi, si casus ferat, adire semel saltem durante munere, per se vel per alium, Provincias et Viceprovincias, ut illas animet et de ipsarum sodaliumque statu certior fiat;

6. De consensu sui Consilii, et auditis illis quorum interest, Missiones Congregationi a Sancta Sede oblatas acceptare, concreditas vero resignare;

7. Concedere Visitoribus facultatem acceptandi vel resignandi Missiones ab Ordinariis locorum concessas extra territorium cuiusvis Provinciae Congregationis;

8. Convocare Conventum Generalem ipsique praeesse, et convocatos, de ipsius Conventus consensu, dimittere;

9. De consensu sui Consilii, auditisque Visitoribus et Vice-visitoribus, tempore opportuno, ante celebrationem Conventus Generalis Commissionem praeparatoriam nominare;

10. quam primum ea omnia, quae a Conventu Generali decreta sunt, promulgare;

11. de consensu sui Consilii, contractus maioris momenti, servatis de iure servandis, inire;

12. gravi de causa, de consensu sui Consilii, et auditis Provinciae Visitatore, Consultoribus et, si tempus suppetat, quamplurimis sodalibus, regimen alicuius Provinciae ad breve tempus assumere per administratorem, cum facultatibus ab ipso Superiore Generali delegatis, exercendum;

13. De consensu sui Consilii, et auditis Consultoribus Provinciae, Visitatorem, gravi de causa, ab officio remove;

14. De consensu sui Consilii, servatis de iure servandis, et auditis illis quorum interest, Domos erigere et supprimere;

15. Gravi de causa, de consensu sui consilii et auditis Visitoribus quorum interest. Domum unius Provinciae in territorio alterius erigere:

16. Iusta de causa et de consensu sui Consilii, domos erigere, quae a nulla Provincia dependeant et regantur a Superiore locali sub directa dependentia Superioris Generalis: et Superiores earundem Domorum nominare:

17. *De consensu sui Consilii et auditis Visitoribus sodalibusque quorum interest, transferre sodales ab una Provincia in aliam;*
18. *De consensu sui Consilii, sodalibus licentiam dare emittendi vota, eosdemque ad Ordines admittere; a votis dispensare, gravi de causa, sive in casu legitimi egressus, sive in actu dimissionis;*
19. *De consensu sui Consilii, sodales e Congregatione dimittere, ad normam iuris universalis et proprii;*
20. *Sodalibus e Congregatione legitime separatis, suffragia concedere, pro defunctis nostris consueta;*
21. *De consensu sui Consilii, in casibus extraordinariis ac gravi de causa, dispensare a Constitutionibus;*
22. *de consensu sui Consilii, in casibus particularibus ac iusta de causa, a Statutis et Decretis Conventus Generalis dispensare;*
23. *de consensu sui Consilii et consultis Visitoribus quorum interest, Directores provinciales Filiarum Caritatis nominare;*
24. *de consensu sui Consilii, approbare normas a Conventibus Provincialibus statutas;*
25. *benefactoribus atque amicis Congregationis affiliationem concedere, bona spiritualia quae ad ipsos spectant, indicando.*
157. — *Superior Generalis Romae domicilium habet. Illud ne mutet, nisi consentiente Conventu Generali et consulta Sancta Sede.*
158. — *Ordinationes generales a Superiore Generali conditae vigent iisque ad sequentem Conventum Generalem, nisi ab ipso Superiore Generali vel ab eius successore aliter provisum fuerit.*
159. — *Superiores, Visitatores aliique officiales Congregationis, necnon Directores provinciales Filiarum Caritatis, ex tunc sui muneris tempore, boni ordinis causa, in officio pergunt donec a successoribus substituantur.*

De Vicario Generali

160. — *Vicarius Generalis Superiorem Generalem adiuvat illumque absentem vel impeditum in munere supplet, ad normam iuris proprii.*
161. — *Vicarius Generalis a Conventu Generali eligitur ad normam iuris proprii. Electus vero in Vicarium Generalem ipso facto fit etiam Assistens Generalis.*
162. — *In casu absentiae Superioris Generalis, Vicarius Generalis eiusdem auctoritate insignitur, nisi ipse Superior Generalis aliquid sibi reservaverit.*

163. — *In casu impedimenti Superioris Generalis, Vicarius Generalis illum supplet pleno iure usque ad impedimenti cessationem. De impedimento autem Consilium Generale, sine Superiore Generali, sed praesente Vicario Generali, iudicat.*

164. — *Vacante quacumque de causa munere Superioris Generalis, ipso facto Vicarius Generalis fit Superior Generalis usque ad completum sexennium; de consensu autem sui consilli, auditisque saltem Visitoribus et Vicevisitoribus, ex Assistantibus Vicarium Generalem quamprimum nominat.*

165. — *Deficiente Vicario Generali, quacumque de causa, Superior Generalis, de consensu sui Consilii auditisque saltem Visitoribus et Vicevisitoribus, ex Assistantibus Vicarium Generalem quamprimum nominat.*

166. — *Vicarius Generalis ab officio cessat ad normam iuris universalis et proprii.*

167. — § 1. *Vicarius Generalis ab officio cessat:*

Per acceptationem officii a successore factam;

Per renuntiationem a Conventu Generali vel a Sancta Sede acceptatam:

Per depositionem a Sancta Sede decretam.

§ 2. *Si Vicarius Generalis manifeste indignus vel ineptus factus fuerit ad munus suum implendum, Superioris Generalis erit, cum suo Consilio, excluso ipso Vicario Generali, de re iudicare et certiozem facere Sanctam Sedem, cuius mandatis standum erit.*

168. — *Vicarius Generalis, qui ut Superior Generalis regimen Congregationis assumpserit, expleto sexennio, immediate in Superiorem Generalem eligi potest, et denuo eligi.*

De Assistantibus Generalibus

169. — § 1. *Assistentes Generales sunt sodales Congregationis qui Consilium Superioris Generalis constituunt, opera et consilio in regimine Congregationis eum adiuvant, ut unitas et robur Congregationis promoveantur, Constitutiones et decisiones Conventus Generalis ad effectum deducantur, omnesque Provinciae in operibus Congregationis promovendis collaborent.*

§ 2. *Unus ex Assistantibus Generalibus specialem curam habet pro missionibus ad Gentes.*

170. — § 1. *Assistentes Generales a Conventu Generali, ad normam iuris proprii, eliguntur.*

§ 2. *Assistentes Generales, saltem quattuor numero, ex diversis Provinciis, ad sexennium eliguntur, et semel possunt iterum eligi. Expleto tamen secundo sexennio consecutivo, nequeunt immediate in Vicarium Generalem eligi.*

§ 3. *Sexennium vero compleri censetur acceptatione officii, a successoribus facta, in sequenti Conventu Generali ordinario.*

171. — *Assistentes in eadem domo qua Superior Generalis residere debent. Ad Consilium autem Generale constituendum, praeter Superiorem Generalem aut Vicarium Generalem, duo saltem Assistentes praesentes sint oportet.*

172. — *Absentibus tamen, iusta de causa, Assistentibus Generalibus, ita ut numerus requisitus pro Consilio deficiat, Superior Generalis ad ipsum Consilium, cum iure suffragii, vocare potest unum ex Officialibus Curiae Generalis, hoc ordine: Secretarium Generalem, Oeconomum Generalem, aut Procuratorem Generalem apud Sanctam Sedem.*

173. — *Assistentium Generalium officium cessat ad normam iuris proprii.*

174. — *Assistentes Generales ab officio cessant:
Per acceptationem officii a successoribus factam
Per renuntiationem a Superiore Generali, de consensu aliorum Assistentium vel a Conventu Generali acceptatam;
Per depositionem a Superiore Generali, de consensu aliorum Assistentium, decretam, accedente beneplacito Sanctae Sedis.*

175. — § 1. *Si quis ex Assistentibus a munere cesserit, substitutus nominatur a Superiore Generali cum voto deliberativo aliorum Assistentium; substitutus vero eadem iura et obligationes ac alii Assistentes obtinet.*

§ 2. *Sed, si intra sex menses Conventus Generalis celebrari debeat, Superior Generalis non tenetur nominare substitutum.*

De Officialibus Curiae Generalis

176. — § 1. *Secretarius Generalis, Oeconomus Generalis et Procurator Generalis apud Sanctam Sedem, extra numerum Assistentium Generalium nominantur a Superiore Generali, de consensu sui Consilli.*

§ 2. *In munere manent ad nutum eiusdem Superioris Generalis de consensu sui Consilii; ratione autem sui officii, domui Curiae Generalis adscribuntur.*

§ 3. *Consilio Generali interesse possunt cum vocati fuerint a Superiore Generali, sed sine suffragio, salvo casibus de quibus agitur in Statutis.*

§ 4. *Conventui Generali intersunt cum iure suffragii.*

177. — § 1. *Secretarius Generalis:*

1) *Superiori Generali ministrat in iis quae scribenda sunt pro tota Congregatione;*
2) *ex munere interest Consilio Generali, sed sine suffragio, ad eiusdem acta confidanda;*
3) *Superiori Generali proponere potest nomina confratrum qui, ad normam iuris proprii ab eo nominantur tamquam cooperatores, sub directione sua, ad Archivum ordinandum, ad publicationes edendas et ad litteras scribendas.*

§ 2. *Si Secretarius Generalis impeditus fuerit ab officio implendo, Superioris Generalis est nominare pro tempore unum ex Assistentibus vel Officialibus vel cooperatores, qui eius vices gerat.*

178. — § 1. *Oeconomus Generalis, ratione officii, bona Congregationis et alia bona Curiae Generali concredita, administrat, sub moderatione Superioris Generalis cum suo Consilio, ad normam iuris universalis et proprii.*

§ 2. *Annunte Superiore Generali, visitat Oeconomos Provinciales, immo particularibus in adiunctis, Oeconomos Domorum vel administratores operum maioris momenti.*

179. — § 1. *Procuratoris Generalis apud Sanctam Sedem est:*

1) *postulationes circa facultates ordinarias a Sancta Sede obtinendas, curare;*

2) *de consensu Superioris Generalis, et auditis Visitoribus quorum interest, tractare apud Sanctam Sedem negotia Congregationis, Provinciarum, Domorum et sodalium.*

§ 2. *Procurator Generalis apud Sanctam Sedem, de mandato scriptis dato Superioris Generalis, officio Postulatoris Generalis Congregationis fungi potest in Curia Romana, ad normam iuris.*

Caput II. - De administratione provinciali et locali

De Provinciis et Viceprovinciis

180. — *Congregatio Missionis dividitur in Provincias ad normam iuris proprii.*

181. — *Congregatio dividitur etiam in Viceprovincias, ad normam iuris proprii.*

182. — *Provincia est plurium domorum inter se coniunctio, territorialibus limitibus circumscripta, cui praeest Visitor, potestate ordinaria propria, ad normam iuris universalis et proprii.*

183. — *Etsi unaquaeque Provincia territorialibus limitibus circumscribitur, nihil impedit quin alicuius Provinciae Domus adsit in alterius Provinciae territorio, ad normam art. 156, 15.*

184. — § 1. *Viceprovincia est plurium Domorum inter se coniunctio, territorialibus limitibus circumscripta, quae, iuxta conventionem initam cum aliqua Provincia, ab ea dependet, et cum ea quoddam totum efformat, cui praeest Vicevisitor, potestate ordinaria propria, ad normam iuris universalis et proprii.*

§ 2. *Potest etiam constitui Viceprovincia quae a nulla Provincia plene constituta, sed directe a potestate Superioris Generalis pendeat, cui praeest Vicevisitor potestate ordinaria propria.*

§ 3. *Viceprovincia, natura sua, est transitoria, et in Provinciam convertitur cum condiciones requisitae habeantur.*

§ 4. *Quod in Constitutionibus et Statutis Congregationis dicitur de Provincia, valet, positus ponendis, etiam de Viceprovincia, nisi aliter expresse caveatur in ipsis Constitutionibus et Statutis vel in Normis et conventionibus cuiusque Viceprovinciae.*

185. — § 1. *Divisa Provincia, ita ut distincta Provincia erigatur etiam bona omnia quae in commodum Provinciae erant destinata et aes alienum quod pro Provincia contractum*

fuerat, a Superiore Generali cum suo Consilio, debita proportione, ex bono et aequo, dividi debent, salvis piorum fundatorum seu offerentium voluntatibus iuribus legitimis quaesitis, ac normis propriis quibus Provincia regitur.

§ 2. Divisio archivi Provinciae matris reservatur decisioni Superioris Generalis, auditis prius Visitoribus quorum interest.

De Visitatore et Vicevisitatore

186. — § 1. Visitor est Superior maior, ordinarius, cum potestate ordinaria propria, qui alicui Provinciae praeficitur ad eam regendam ad normam iuris universalis et proprii.

§ 2. Visitor, actuosae omnium participationis in vita et apostolatu Provinciae studiosus, sodales et copias impendat in servitium Ecclesiae, iuxta finem Congregationis, ministerium Domorum foveat, de profectu personali et activitate singulorum sollicitum se praebeat, unionem vitalem procurans.

187. — Quod in Constitutionibus et Statutis dicitur de Visitatore valet etiam de Vicevisitatore nisi aliter expresse caveatur in ipsis Constitutionibus et Statutis, vel in Normis et conventionibus cuiusque Viceprovinciae.

188. — § 1. Visitor nominatur aut confirmatur a Superiore Generali, de consensu sui Consilii, ad normam Statutorum.

§ 2. Visitor nominatur ad sexennium a Superiore Generali, de consensu sui Consilii, consultis saltem sodalibus Provinciae vocem activam habentibus. Eodem modo, iisdem condicionibus, Visitor semel a Superiore Generali confirmari potest ad triennium. Modus et circumstantiae consultationis determinari possunt a Conventu Provinciali, cum approbatione Superioris Generalis de consensu sui Consilii.

§ 3. Conventus Provincialis proponere potest approbationi Superioris Generalis, de consensu sui Consilii, modum proprium electionis Visitoris. Huiusmodi vero electio habere debet saltem has condiciones:

- 1) ut sit saltem ad triennium, sed non ultra Sexennium;*
- 2) ut Visitor electus non sit in officio ultra novem annos continuos;*
- 3) ut ad maioritatem saltem absolutam fiat;*
- 4) ut modus electionis provideat ad casus paritatis solvendos.*

§ 4. ut electus, vel reelectus, Visitoris munus assumat, requiritur confirmatio Superioris Generalis, de consensu sui Consilii.

189. — Visitoris est:

1. Constitutionum, Statutorum et Normarum provincialium observantiam promovere;
2. De consensu sui consilii, Ordinationes condere in bonum Provinciae;

3. Propositum Provinciale condere, iuxta Normas Provinciales et de consensu sui Consilii;

4. *De consensu sui Consilii, Domus intra fines suae Provinciae erigere et suppressere, servatis de iure servandis, et consulto Superiore Generali. Quod valet etiam cum agitur de suppressione operis maioris alicuius Domus;*
5. *Audito suo Consilio et consultis, quantum fieri potest, iis quorum interest, sodales singulis Domibus, pro ipsarum necessitate, assignare; in casibus tamen urgentioribus, Visitor tenetur suum Consilium saltem certiolem facere;*
6. *De consensu sui consilii et consultis sodalibus, Superiores Domorum nominare et Superiorem Generalem de nominatione certiolem facere;*
7. *De consensu sui Consilii nominare, iuxta Normas Provinciales, Oeconomum provincialem et Directorem Seminarii Interni et Seminarii Maioris;*
8. *De consensu sui Consilii et consultis iis quorum interest, approbante Superiore Generali, Superiorem Regionalem cum potestate delegata instituere;*
9. *Approbare Propositum commune Domorum a Superiore locali cum sua communitate praeparatum;*
10. *Domos et sodales frequenter invisere, et quidem ex officio, saltem alternis annis;*
11. *Relationes mittere ad Superiorem Generalem de rebus Provinciae, et de visitationibus Domorum ex officio peractis;*
12. *De consensu sui Consilii, contractus necessarios et utiles inire, ad normam iuris universalis et proprii;*
13. *Audito suo Consilio, tempore opportuno, Commissionem praeparatoriam Conventus Provincialis nominare;*
14. *Conventum Provincialem, ad normam iuris proprii, convocare, ipsique praeesse; convocatos autem, de consensu ipsius Conventus, dimittere, et Normas Provinciales promulgare;*
15. *Gaudere praerogativa dirimendi paritatem suffragiorum, ad normam iuris;*
16. *Candidatos admittere in Seminarium internum, ad Bona Proposita et ad Vota, iuxta Constitutiones et Statuta;*
17. *Consultis Superioribus et Moderatonibus candidatorum, sodales admittere ad “Ministeria” et, de consensu sui Consilii, ad Ordines;*
18. *Sodales praesentare ad Ordines ac litteras dimissorias dare pro eorum Ordinatione;*
19. *Audito suo Consilio et consultis Moderatonibus, sodales nondum Congregationi incorporatos dimittere.*
20. *Superiorem Generalem quam primum certiolem facere de emissis Votis a sodalibus, deque eorum incorporatione in Congregationem, et de Ordinibus ab illis susceptis;*
21. *Per se vel per alios idoneos curam habere de archivo provinciali;*
22. *Approbare sodales et ipsis conferre iurisdictionem ad sodalium confessiones, necnon, salvo iure Ordinarii, ad sacram Verbi Dei praedicationem, easdemque facultates alii delegare;*
23. *De consensu sui Consilii, iusta de causa, dispensare a Normis provincialibus in casibus particularibus.*

190. — *Vicevisitor eadem iura, facultates et obligationes habet ac Visitor, nisi aliter in ipsis Constitutionibus et Statutis expresse caveatur.*

191. — *Ordinationes Visitoris vigent iisque ad sequentem Conventum Provincialem, nisi ab ipso Visitatore vel eius successore aliter provisum fuerit.*

192. — § 1. *Vacante officio Visitatoris, regimen Provinciae ad tempus cedit Assistenti Visitatoris; si vero Assistens non habeatur, Consultori Provinciali antiquiori ratione institutionis, vocationis vel aetatis, nisi a Superiore Generali aliter provisum fuerit.*
§ 2. *Conventus Provincialis proponere potest approbationi Superioris Generalis, de Consensu eius Consilii, modum proprium providendi regimini Provinciae ad tempus, adveniente morte Visitatoris, aut eius cessatione ab officio.*

De Assistente Visitatoris

193. — § 1. *Visitator, ut in regimine Provinciae adiuvari possit, habere potest Assistentem, Conventus provincialis est statuere utrum habendus sit Assistens Visitatoris necne.*
§ 2. *Assistens Visitatoris est unus ex Consultoribus Provincialibus, et eligitur ab ipsis Consultoribus cum Visitatore, nisi a Conventu Provinciali aliter provisum fuerit.*
§ 3. *Absente Visitatore, Assistens eiusdem auctoritatem habet, exceptis iis quae sibi Visitator reservaverit.*
§ 4. *Impedito Visitatore, Assistens illum supplet pleno iure, iisque ad impediti cessationem. De impedimento autem Consilium Provinciale, sine Visitatore, iudicat, et quam primum Superiorem Generalem certiore facit, cuius mandatis standum erit.*

De Consilio Visitatoris

194. — *Consultores, qui consilium Visitatoris constituunt, opera et consilio eum in regimine Provinciae adiuvant, ut eius unitas et robur promoveantur, Constitutiones et decisiones Conventus Provincialis ad effectum deducantur, omnesque Domus et sodales in operibus promovendis collaborent.*

195. — § 1. *Consultores nominantur ad triennium a Visitatore, consultis saltem sodalibus Provinciae vocem activam habentibus. Eodem modo iisdemque condicionibus, Consultores confirmari possunt ad secundum et ad tertium triennium, non autem ad quantum.*
§ 2. *Conventus Provincialis proponere potest approbationi Superioris Generalis, de consensu eius Consilii, modum proprium designationis vel electionis Consultorum, necnon eorumdem numerum, tempus nominationis et durationis in officio. De Consultorum designatione, Visitator certiore facere debet Superiorem Generalem.*
§ 3. *Consultor Provincialis, gravi de causa, ab officio removeri potest a Superiore Generali, proponente Visitatore, de consensu reliquorum Consultorum.*
§ 4. *Quod dicitur de Assistente Provinciali in art. 193, § 3 et § 4, valet etiam de Consultore Provinciali antiquiore ratione institutionis, vocationis vel aetatis, ubi Assistens Provincialis non habeatur, nisi aliter in Normis Provincialibus statutum fuerit.*

De Oecono Provinciali

196. — § 1. *In unaquaque Provincia sit Oeconomus qui administret bona Provinciae, sub directione ac vigilantia Visitoris cum suo Consilio, ad normam iuris universalis et proprii.*

197. — *Si Oeconomus Provincialis non est Consultor, interest Consilio Provinciali cum vocatus fuerit a Visitatore, sed sine suffragio.*

198. — *Oeconomi Provincialis est:*

1. *curare ut bona Provinciae necne in foro ecclesiastico et civili possideantur;*
2. *consilio et opera adiuvare Oeconomos Domorum ad munus implendum, eorumque administrationi invigilare;*
3. *curare ut unaquaeque Domus solvat summam assignatam pro expensis Provinciae et, suo tempore, mittere ad Oeconomum Generalem taxam pro fundo generati;*
4. *curare ut iusta merces Congregationis operariis solvatur et accurate serventur leges civiles de tributis et de securitate sociali;*
5. *semper ordine servare varia regesta expensarum et reddituum, necnon alia documenta;*
6. *rationem reddere Visitori eiusque Consilio de sua administratione, ad normam art. 245.*

De Officiis in administratione locali

199. — § 1. *Congregatio seipsam efficit praesertim in singulis Communitatibus localibus.*
§ 2. *Superior, centrum unitatis et animator vitae Communitatis localis, ministeria Domus foveat et de singulorum profectu et actuositate cum communitate sollicitum se praebeat.*

200. — *Superior localis nominatur ad triennium a Visitatore, consultis sodalibus Domus vel Communitatis beaus. In eadem autem Domo, iisdem condicionibus, nominari potest ad alterum triennium, et pro necessitate, accedente approbatione Superioris Generalis, etiam ad tertium triennium.*

201. — *Conventus Provincialis alium modum designationis Superioris localis statuere potest.*

202. — *Ad normam iuris, Superior localis potestatem habet ordinariam in foro interno et externo pro sodalibus aliisque diu noctuque in Domo sua degentibus; eandem autem potestatem aliis delegare potest.*

203. — *Superioris localis ius et officium est:*

1. *Visitatorem certiozem facere de statu Domus sibi concredita;*
2. *Munera et officia, quorum attributio Superioribus maioribus non reservatur, sodalibus Domus committere;*
3. *Conventum domesticum convocare et dirigere;*
4. *Una cum sua communitate Propositum commune suae Domus praeparare et approbationi Visitoris proponere;*

5. *Habere archivum et sigillum Domus;*
6. *Sodalibus notificare decreta et notitias Congregationis;*
7. *Curare ut onera Missarum adimpleantur.*

204. — § 1. *Deficientibus condicionibus ad Domum erigendam vel si opus aliquod id suadeat. Visitator, de consensu sui Consilii, Coetum sodalium ad instar Domus constituere potest, iuxta Normas Provinciales.*

§ 2. *Unus e sodalibus, a Visitatore ad normam iuris designatus, in huiusmodi Coetu responsabilis est ad modum Superioris.*

§ 3. *Coetus ad instar Domus eadem ac ipsa Domus buna et obligationes habet.*

205. — *Superior localis amoveri potest quotiescumque Visitatori, de consensu sui Consilii et accedente approbatione Superioris Generalis, id visum fuerit ex iusta et proportionata causa.*

206. — § 1. *Superior localis Domum administrat cooperantibus omnibus sodalibus, praesertim Assistente et Oecono, qui nominantur iuxta Normas Provinciales.*

§ 2. *Assistens, absente Superiore, totum illius officium exercet, iuxta normas a iure proprio stabilitas.*

§ 3. *Oeconomus, sub moderatione Superioris atque sodalibus dialogo et cura adiuvantibus, bona Domus administrat ad normam iuris universalis Congregationis et Provinciae.*

§ 4. *Cum Visitator, de consensu sui Consilii, id necessarium iudicaverit pro aliqua Domo, Consilium domesticum constituatur: Consultores vero domestici, qui in administranda Domo Superiorem localem adiuvant, iuxta Normas Provinciales designentur.*

§ 5. *Coadunationes sodalium communitatis ad instar Consilii, frequenter habeantur.*

Caput III. - De Conventibus

De Conventibus in genere

207. — § 1 *Congregationis Missionis Conventus, cuius munus est eiusdem Congregationis spiritualitatem atque apostolicam vitalitatem tueri ac promovere, triplex distinguitur: Generalis, Provincialis et Domesticus.*

§ 2 *Superiores et sodales Conventus praeparent, eosque actuose participant; fideliter tandem servant leges et normas ab ipsis traditas.*

208. — § 1. *In electionibus requiruntur saltem tres scrutatores.*

§ 2. *Ex iure sunt scrutatores, simul cum praeside et cum secretario post eius electionem duo aetate iuniores e membris Conventus.*

§ 3. *Initio Conventus proceditur ad electionem secretarii, cuius est:*

1) *primi scrutatoris munus implere;*

2) *relationes sessionum earumque documenta conficere.*

209. — *Ante Conventum et eo perdurante, fovenda est libera communicatio notitiarum circa res determinandas et qualitates eligendorum.*

210. — § 1 *Nemo duplici suffragio gaudere potest.*

§ 2. *Condicionem ante electionem suffragio appositae, tamquam non adiectae censentur.*

§ 3. *Electio obligationem gignit electo Conventum participandi vel officium acceptandi, nisi gravis causa excuset. Si agitur de participatione, gravis causa probatur a Superiori competenti, qui postea eius comprobationem a Conventu petit; si vero de officii acceptatione agitur, gravis causa ab ipso Conventu probanda est.*

§ 4. *Nemo in Conventibus album sibi substituere potest proprio arbitrio.*

§ 5. *Maioritas suffragiorum computanda est solum ex suffragiis valide latis. Suffragia alba sunt nulla.*

211. — *Expleta negotiorum tractatione, acta Conventus a congregatis approbata subscribenda sunt a Praeside Conventus, ab eiusdem Secretario et ab omnibus congregatis ad, sigillo munita in tabulario diligenter servanda sunt.*

De Conventu Generali

212. — *Conventus Generalis, universam Congregationem immediate repraesentans, ut suprema eiusdem auctoritas, gaudet iure:*

1. eligendi Superiorem Generalem, Vicarium Generalem et Assistentes Generales;
2. condendi leges seu Statuta et Decreta ad bonum Congregationis, servato principio subsidiariorum. Statuta quae explicite non sunt abrogata, in vigore manent. Decreta vero, explicite confirmari debent, ut in vigore maneant;
3. postulandi a Sancta Sede mutationes in Constitutionibus ab ipsa approbatis duabus e tribus partibus suffragiorum;
4. Interpretandi authentice Constitutiones et Statuta.

213. — *Conventus Generalis gaudet iure faciendi Declarationes quae habent vim doctrinalem et indolem exhortationis.*

214. — *Conventus Generalis, a Superiore Generali convocatus, celebrandus est:*

1. Ordinarius, ad eligendum Superiorem Generalem, Vicarium Generalem et Assistentes Generales, et ad negotia Congregationis tractanda;
2. Extraordinarius, cum a Superiore Generali convocatus fuerit, ad normam iuris proprii.

215. — § 1. *Conventus Generalis ordinarius sexto recurrente anno post ultimum Conventum Generalem ordinarium celebrandus est.*

§ 2. *Conventus Generalis extraordinarius celebratur quotiescumque Superior Generalis, de consensu sui Consilii et auditis Visitoribus, censuerit illum esse celebrandum.*

§ 3. *Celebrationem Conventus Generalis praecedere debent Conventus Provinciales.*

216. — § 1. *De tempore et loco Conventus Generalis celebrandi, Superior Generalis, de consensu sui Consilii, decernit.*

§ 2. *Sexto tamen recurrente anno, iusta de causa, celebratio Conventus potest, decreto Superioris Generalis de consensu sui Consilii, ad sex menses anticipari vel retardari a die incepti praecedentis Conventus Generalis ordinarii.*

217. — § 1. *Conventui Generali interesse debent:*

1) – a) *Superior Generalis, Vicarius et Assistentes Generales, Secretarius Generalis, Oeconomus Generalis et Procurator Generalis apud Sanctam Sedem ;*

b) *Superior Generalis, Vicarius et Assistentes Generales, exeuntes ab officio, remanent membra Conventus in subsequentibus eiusdem Conventus sessionibus.*

2) - a) *Visitatores ac Provinciarum deputati, ad normam iuris proprii electi.*

b) *Praeter eos qui, ad normam Constitutionum, Conventui Generali ex officio interesse debent, aderit unus deputatus pro singulis Provinciis et Viceprovinciis pro primis centum sodalibus vocem activam habentibus; si autem sodales vocem activam habentes plures quam centum sunt, habebitur alius deputatus pro quavis eorum septuagena quina parte et reliqua portione.*

Numerus deputatorum ad Conventum Generalem computandus est iuxta numerum sodalium vocem activam habentium die electionis deputatorum in Conventu Provinciali.

§ 2. *Vacante officio Visitoris, ille qui interim regimen Provinciae tenet ad Conventum Generalem pergit.*

Si Visitor legitime impediatur quominus ad Conventum Generalem se conferat, eius loco pergit qui eum in officio supplet. Si autem hic electus fuerit in deputatum, primus substitutus ad conventum Generalem pergit.

218. — § 1. *Ante Conventus Generalis convocationem, tempore opportuno, Superior Generalis, cum suo Consilio, auditis Visitoribus et attentis diversis regionibus et operibus, nominat Commissionem Praeparatoriam.*

§ 2. *Relicta Superiori Generali cum suo Consilio ampla facultate ordinandi, pro opportunitate, Commissionis Praeparatoriae labores, eiusdem Commissionis munera esse possunt:*

1) *quaerere a Provinciis et a singulis sodalibus quaenam problemata eorum iudicio sint urgentiora, et quamam methodo in Conventu Generali sint tractanda;*

2) *acceptis responsionibus, argumenta, pro necessitate, urgentiora ac universaliora seligere, studia parare et fontes colligere, eaque omnia, congruo tempore, ante Conventuum Domesticorum celebrationem, Visitoribus mittere;*

3) *proposita seu postulata Conventuum Provincialium et studia a Provinciis facta necnon postulata a Superiore Generali audito suo Consilio, proposita recipere;*

4) *omnia in ordinem adducere, et ex eis documentum laboris conficere, et omnia ita tempestive mittere, ut membra Conventus et substituti prae manibus ea habere possint duobus integris mensibus ante Conventus Generalis initium.*

§ 3. *Incepta celebratione Conventus, munus huius Commissionis cessat; eius tamen praeses, per se vel per alium, si opportunum visum fuerit, expositionem facit de ratione agendi Commissionis.*

219. — § 1. *Die electionis Superioris Generalis, electores Sacrum Deo offerent pro felici electione et, post brevem exhortationem, hora statuta, sessionem sub Praeside incipient.*

§ 2. *In schedulis praeparatis, electores inscribent nomen illius quem elegerint in Superiorem Generalem.*

§ 3. *Omnibus schedulis numeratis, si earum numerus excedat eligentium numerum, nihil actum est, et novae schedulae sunt scribendae.*

§ 4. *Post quartum inefficax scrutinium, fiat quintum, in quo requiritur et sufficit maioritas ad plura absolute suffragia, demptis nullis.*

Post quintum inefficax scrutinium, fiat sextum, in quo voce passiva gaudeant solummodo duo candidati qui in quinto scrutinio maiorem etsi parem numerum suffragiorum tulerint, nisi plures, primo aut secundo loco, paritatem obtinuerint; quo in casu, etiam isti gaudeant voce passiva in sexto scrutinio, in quo requiritur et sufficit maioritas relativa suffragiorum, demptis nullis; et, in casu paritatis, candidatus senior vocatione vel aetate electus habeatur.

§ 5. *Electione legitime peracta et officio ab electo acceptato, qui praesidet, decreto electionis exaratum, clara voce proclamabit electum; sed si ipse Praesens in Superiorem Generalem electus fuerit, Secretarius Conventus decretum conficiet et Moderator electum proclamabit.*

§ 6. *Qui vero electus fuerit, commissum sibi onus non renuet nisi gravi de causa.*

§ 7. *Absoluta electione et gratiis Deo relatis, destruentur schedulae.*

§ 8. *Si neoelectus non sit praesens, advocetur et, usque ad eius adventum, Conventus alia negotia Congregationis tractare potest.*

220. — *Vicarius Generalis eligitur iisdem condicionibus ac Superior Generalis et modo praescripto in art. 219. § 4.*

221. — § 1. *Electionibus Superioris Generalis et Vicarii Generalis absolutis, Conventus Generalis ad electionem aliorum Assistentium procedit, in distinctis scrutiniis.*

§ 2. *Hi electi habebuntur qui, demptis suffragiis nullis, plura absolute suffragia tulerint: hi ut electi a Praeside Conventus proclamentur.*

§ 3. *Si in primo et secundo scrutinio nemo fuerit electus, tunc in tertio electus erit qui maiora relative obtinuerit suffragia, et in casu paritatis, senior vocatione vel aetate.*

222. — *Directorium ab aliquo Conventu approbatum in vigore manet iisquedum ab alio Conventu mutetur vel abrogetur.*

De Conventu provinciali

223. — *Conventus Provincialis, utpote coadunatio sodalium qui, tamquam deputati Provinciam repraesentant, est:*

1. *Condere Normas ad bonum commune Provinciae intra limites iuris universalis et proprii, quae vim obligatoriam obtinent post approbationem Superioris Generalis de consensu sui consilii:*

2. *Tractare, ut organum consultivum Visitoris, de rebus quae ad bonum Provinciae ducere possunt:*

3. Agere de propositis quae, nomine Provinciae, deferenda sunt tum Conventui Generali, tum Superiori Generali:
4. Eligere deputatos ad Conventum Generalem, si casus ferat:
5. Condere normas pro Conventibus Domesticis, intra limites iuris universalis et proprii, quae non indigent approbatione Superioris Generalis.

224. — *Normae, a Conventu Provinciali conditae, sunt regulae generales omnibus casibus in ipsis Normis descriptis applicandae. Hae Normae tamen non attingunt auctoritatem Visitoris, prouti haec in iure universalis vel proprio describitur, neque eius potestatem executivam ad ipsius officium implendum necessariam. In vigore autem manent iisque dum a subsequenti Conventu Provinciali vel a Superiore Generali revocentur.*

225. — § 1. *Conventus Provincialis celebrandus est bis in sexennio, alter ante Conventum Generalem, alter tempore intermedio.*
§ 2. *Pro necessitate, Visitor, de consensu sui Consilii et auditis Superioribus localibus, potest convocare Conventum Provinciale extraordinarium.*

226. — *Ad Visitationem pertinet Conventum Provinciale convocare eique praesidere: congregatos, de consensu ipsius Conventus, dimittere, et Normas promulgare.*

227. — *Ad Visitatorem, audito Consilio, pertinet dies statuere domumque designare in qua celebrari debet Conventus Provincialis.*

228. — *Superior Generalis decisionem circa Normas Provinciales Visitori significabit, intra duos menses ab earum receptione.*

229. — *Conventui Provinciali interesse debent, nisi aliud in Normis Provincialibus caveatur:*

1. *ex officio. Visitor, Consultores Provinciales, Oeconomus provincialis, et singularum Provinciae Domorum Superiores;*

2. *Insuper, tot deputati electi ex unico collegio provinciali, constante ex omnibus sodalibus voce passiva fruuntibus, quot sunt deputati qui ex officio interesse debent, additis uno deputato pro vicenis quinque (25) sodalibus voce activa fruuntibus, et alio pro reliqua eorum parte*

230. — *Electi in deputatos habeantur qui ex unico collegio provinciali maiorem numerum suffragiorum obtinuerint, et in casu paritatis seniores vocatione vel aetate; totidem secundum ordinem maioritatis suffragiorum sunt substituti.*

231. — *Si Superior Domus impediatur quominus pergat ad Conventum Provinciale, Assistens Domus eius loco perget. Si vero Assistens electus fuerit in deputatum, alius ipsi sufficiatur ex elenco substitutorum.*

232. — *Conventus Provincialis proponere potest approbationi Superioris Generalis, de consensu sui Consilii, modum proprium repraesentationis in Conventu Provinciali, ita*

tamen ut numerus deputatorum electorum superet numerum eorum qui ex officio Conventui interesse debent.

233. — *Singularum Provinciarum est in Conventu conficere normas proprias procedendi, seu Directorium, intra limites iuris universalis et proprii.*

234. — *Conventus Provincialis ad electionem deputatorum et substitutorum ad Conventum Generalem procedit in distinctis scrutiniis, ad plura absolute suffragia. Si in primo et secundo scrutinio nemo fuerit electus, in tertio electus habebitur qui maiorem suffragiorum numerum obtinuerit, et in casu paritatis, senior vocatione vel aetate.*

De Conventu domestico

235. — § 1. Conventus Domesticus a Superiore Domus, vel ab Assistente qui totum eiusdem officium exercet, convocatur et celebratur in ordine ad Conventum Provincialem.

§ 2. Ad Conventum Domesticum convocandi sunt omnes vocem activam habentes.

236. — *Conventus Domestici est tractare de iis quae Domus proponere voluerit Conventui Provinciali necnon de iis quae Commissio Praeparatoria Conventus Provincialis ad disceptationem proposuerit, et circa proposita deliberare.*

Sectio II. — DE BONIS TEMPORALIBUS

237. — § 1. Congregatio Missionis bona temporalia propter exigentias pastorales et communitarias possidet; iis utitur tamquam subsidiis in servitium Dei et pauperum, secundum spiritum et praxim Fundatoris; eadem autem, uti patrimonium pauperum, cum sollicitudine, sed absque thesaurizandi cura, administrat.

§ 2. Congregatio Missionis formam communitariam paupertatis evangelicae amplectitur in eo quod omnia bona Congregationis sunt communia, et Congregatio iis utitur ad melius persequendum et attingendum suum finem proprium.

238. — *Congregatio haec principia assidue meditetur, corde amplectatur et fidenter ac fortiter in usum ducat:*

1. unanimum conatum ad sobrietatem vitae instaurandam quae exemplo potius quam verbis, in nomine paupertatis Christi, militat contra aviditatem profluentem e societate abundantiae et contra cupiditatem divitiarum quae totum fere mundum perdit (cf. RC III, I):

2. sollicitudinem effectivam bona sua impendendi ad iustitiam sociale promovendam

3. alienationem bonorum quae superflua sint, in favorem pauperum.

239. — Cum omnia bona sint communia, sodales sunt corresponsabiles, ad normam iuris, in acquisitione, administratione et destinatione bonorum temporalium Domus et Provinciae ad quas pertinent; servata proportione, principium valet etiam ad bona quod attinet totius Congregationis.

240. — § 1. Domus, Provinciae et Congregatio ipsa sunt capaces acquirendi, possidendi bona temporalia. Ubi casus ferat, earum Superiores sunt repnaesentantes legales etiam coram auctoritate civili, nisi aliter provideatur.

§ 2. Fontes bonorum temporalium sunt labor sodalium et alia media licita acquirendi bona.

241. — § 1. Propter bonum commune, Domus debent adiuvere Provincias in us quae necessaria sunt ad bonam administrationem et ad providendum necessitatibus generalibus; idem dicendum est de provinciis quoad Curiam Generalem.

§ 2. Aequitate servata, Superior Generalis de consensu sui Consilii, ius habet taxam imponendi Provinciis; item Visitor, de consensu sui Consilii, Domibus suae Provinciae.

242. — § 1. Provinciae et Domus aliae cum aliis in bonis temporalibus communicent, ita ut quae plus habent, alias adiuvent quae necessitatem patiuntur.

§ 2. Congregatio, Provinciae et Domus, ex bonis suis, libenter provideant aliorum necessitatibus et egenorum sustentationi.

243. — § 1. Sodales ad hoc deputati, administrant bona temporalia ad procurandam convenientem sustentationem sodalium et ad congrua suppeditanda media apostolicae eorum actuositati et operibus caritatis.

§ 2. Bona communitatis administranda sunt a suis cuiusque Oeconomis sub directione et vigilantia Superiorum cum suis Consiliis, intra limites iuris universalis et proprii, et secundum principium subsidiariorum.

§ 3. Item directione et vigilantia Superiorum cum suis Consiliis, administranda sunt bona quae Congregationi, pro gestione tantum, commissa sunt.

244. — § 1. Meminerint administratores se esse dispensatores tantum bonorum communitatis; proinde eadem bona impendant tantummodo in usus statui missionariorum aptos, et semper agant secundum leges civiles iustas, et secundum normas et spiritum Congregationis.

§ 2. Administratores libenter provideant necessitatibus sodalium in omnibus quae respiciunt eorum vitam, officium peculiare et apostolicum laborem. Huiusmodi enim usus bonorum incitamentum est sodalibus ad bonum pauperum fovendum et ad vitam vere fraternam ducendam.

§ 3. Iidem administratores insuper servent aequitatem in bonorum distributione, cum debeant inter sodales vitam communitariam fovere: necessitatibus individualibus sodalium provideant iuxta Normas a Conventu Provinciali statutas.

245. — § 1. Oeconomi rationem reddere debent Superioribus, et certiores facere sodales de sua administratione.

§ 2. Exhibita regesta accepti et expensi et relatio de statu patrimonii examinanda erunt a Superiore Generali cum suo Consilio, cum agitur de Oecono Generali, semel in anno; a Visitatore cum suo Consilio, cum agitur de Oecono Provinciali, bis in anno; a

Superiore locali, cum agitur de Oecono Domus, singulis mensibus; regesta autem vel relatio subscribentur tantum si exacta reperiantur.

§ 3. *Sodales qui administrationem operum specialium habent tum Provinciae, tum Domus, exhibebunt regesta accepti et expensi Superioribus respectivis, tempore et modo in Normis Provincialibus determinatis.*

§ 4. *Si autem bona non sint Congregationis propria, sed pro administratione commissa, eorum regesta, tum ipsorum dominis, tum Superioribus Congregationis, exhiberi debent.*

§ 5. *Oeconomus Generalis relationem generalem praebeat de sua administratione Visitoribus in fine uniuscuiusque anni; septimo quoque anno, Conventui Generali.*

§ 6. *Visitatores, pro suis Provinciis, computum transmittent Superiori Generali post finem anni.*

§ 7. *Oeconomi Provinciales sodalibus suae Provinciae relationem generalem praebeant de sua administratione necnon de Provinciae patrimonio, iuxta Normas Provinciales.*

246. — *Administratores omnes, tam Superiores quam Oeconomi, nequeunt actus administrationis nomine Congregationis ponere, nisi intra limites sui muneris et ad normam iuris. Quare Congregatio, Provincia et Domus respondere debent tantum de actibus administrativis iuxta praefatas normas positas; de ceteris illi respondebunt qui illicitos aut invalidos actus posuerint. Si qua tamen persona iuridica Congregationis debita vel obligationes, etiam cum licentia, contraxerit, ipsa ex suis respondebit.*

247. — *In alienandis rebus, ratione materiae, artis, historiae, antiquitatis, pretiosis, aliisque bonis, quorum valor superat summam a competenti auctoritate statutam, vel in debitis aut obligationibus contrahendis ultra summam praestitutam, contractus vi caret, nisi praecesserit beneplacitum scripto datum competentis auctoritatis, ad normam iuris universalis et proprii.*

248. — § 1. *Conventus Generalis statuere potest summam supra quam Superior generalis non potest expensas extraordinarias facere.*

§ 2. *Visitatores possunt expensas facere secundum Normas a Conventu Provinciali datas.*

§ 3. *Superiores locales possunt expensas facere intra limites a Normis Provincialibus statutos.*

249. — *Superiores debita contrahi ne permittant, nisi certo constet, ex consuetis fontibus posse debiti foenus solvi, et intra tempus praevisum, per legitimam annui census redemptionem, reddi summam mutuo acceptam.*

250. — § 1. *Leges laboris, securitatis et iustitiae pro personis in Domibus et in operibus Congregationis laborantibus, accurate serventur.*

§ 2. *Superiores maxima cum prudentia agant in accipiendis piis foundationibus, quae per diuturnum tempus obligationes gignunt. Ne admittantur quae sint perpetuae.*

§ 3. 1) *Largitiones ex bonis communibus ne dentur, nisi ad normam Constitutionum et Statutorum.*

2) *In accipiendis bonis quae Congregationi, Provinciae et Domui ex testamento vel donatione proveniunt, servetur voluntas donantis circa eorum dominium et usum.*

§ 4. Securitas socialis sodalibus procuretur cura Congregationis aut Episcopi vel aliorum pro quibus illi operam suam praestant. Domus insuper, Provinciae et ipsa Curia Generalis, aequas cautiones sumant a periculis diversi generis.

DE STATUTO FUNDAMENTALI PAUPERTATIS
ET DE EIUS INTERPRETATIONE ET EXPLICATIONE

[as in 1984]

DECRETA
XXXVI CONVENTUS GENERALIS

[as in 1984]

DECLARATIO

[see *Vincentiana* 14:4-5 (July-Oct 1980), 256]

FORMULAE EMISSIONIS [BONORUM PROPOSITORUM, VOTORUM]

[as in 1984, in text]

ATTESTATIO EMISSIONIS VOTORUM

[as in 1984]

POSTULATUM GIEV

[see *Vincentiana* 14:4-5 (July-Oct 1980), 258]

SCHEMA SEPARATIONIS CONSTITUTIONUM A STATUTIS

[see *Vincentiana* 14:4-5 (July-Oct 1980), 259]

INDEX CONSTITUTIONUM ET STATUTORUM C.M.

[see *Vincentiana* 14:4-5 (July-Oct 1980), 261-68]

+++

[Sources: *Vincentiana* 14 : 4-5 (July-Oct 1980), 195-250 = text ; also, mimeographed text, Rome, 10-1980, 48 pp. + VII ; Miguel Pérez Flores, “De las Constituciones de 1980 a las de 1984,” *Anales*, 1985:2 (1985), 102-58 = analysis.]